This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Educ
1018
12

Educ 1018.12

Harvard College Library

FROM THE

SUBSCRIPTION FUND,

BEGUN IN 1858.

21 May, 1897.

DE

Schola Lerinensi

ÆTATE MEROVINGIACA

THESIM

FACULTATI LITTERARUM BURDIGALENSI PROPONEBAT

Paul
P. LAHARGOU

IN LITTERIS LICENTIATUS

PARIS
VICTOR RETAUX & FILS, ÉDITEURS
82, RUE BONAPARTE, 82
1892

~~VI. 15833~~
Educ 1018.12



Subscription fund.

MAGISTRO CARISSIMO

OPTIMO ET DOCTISSIMO VIRO

L. COUTURE

P. LAHARGOU

PROŒMIUM

Tempora elapsa mente recogitanti ulla vix ætas occurrere potest, quæ, inter diversissimas rerum fortunas, spectaculum exhibeat magis dignum quod contempleris, studiaque eorum hominum, quibus ævi præteriti curiositas inest, magis provocet quam ea, quæ ab ineunte seculo quinto tota ætate quam merovingiacam dicunt, intercluditur. Tunc enim res romana per longissimum tempus multa arte, armorum vi et ingenii ope solidata, cum ipsa mole sua tandem stabilita videretur, ad extremum adhuc inauditis motibus concussa in ruinam præceps datur. « Versum fas atque nefas; » jura privata negotiaque publica in confuso haberi cœperant, quæ cum sint vincula pacis civitatisque bene moratæ ratio, si dissolvuntur, et ipsam rempublicam dissolvi necesse est. Non alia fuit romanæ potestatis conditio, quam omnis humanæ rei quæ, postquam ad culmen suum elata fuit, ineluctabili quodam fato ad perniciem trahitur. Quæ quidem extrema, seculo quinto præsertim, res romana cognovit, cum simul irruentibus undique barbaris gentibus, nisi ope quadam divina fulci-

retur, diutius exstare non poterat. Dum autem ea quæ magno decursu temporis tanta gloria viguerant dilabuntur, nova quædam rerum species quasi adumbratur, paulatimque clariore luce perfusa et nitore suo spectabilis e ruinis exsurgit. Ut ait Virgilius, « Magnus ab integro seclorum nascitur ordo. »

Multis ex causis quæ, depulsa romana rerum figura, tempora nova instaurare valuerunt, una in primis notanda est, scilicet monachorum institutio. « Nec minimum meruere decus, » cum ipsi artibus et scientia silvestres homines populosque rudes erudiendos susceperint, maximeque ad componendam indigestam molem allaboraverint. Longum est quidem, sed studio ingenioque curiosi hominis valde dignum inquirere qua virtute, qua arte, qua malorum tolerantia ii, quos monachos vocant, opus susceptum perfecerint : « urbis opus, » quod equidem tantisper nostram mentem tentarat, si mediocri virtute haud mediocris labor contentus esse posset. Fuit igitur quasi sapientia quamdam minutam tantum operis partem investigare.

Inter civitates Antipolim et Forum Julii, juxta mediterraneum gallicum littus, in medio quodam sinu circumfusi maris exstant geminæ grandiores

insulæ, quatuor aut quinque passuum millibus a continente dissitæ. Illa autem quæ major videtur, olim vocata Lero (1), nunc insula sanctæ Margaritæ dicitur : cui meridiem versus altera adjacet quæ Lerina communiter, a quibusdam vero sancti Honorati insula vocatur. Hæc quidem angustior, si eam dimetiaris, cum sit finibus angustissimis inclusa, sed non angustæ gloriæ. Cujus ad littus primis quinti seculi annis, navem appulit civis quidam peregrinus, Honoratus nomine, quem Leucis Tullorum oriundum dicunt familia nobili, « cujus usque ad consulatum provecta dignitas » (2) erat. Honorato quidem propositum erat omnem consuetudinem cum reliquis hominibus et omnem necessitudinem cum suis solvere, ut alicubi ascetarum thebaicorum more eremiticam et solitariam vitæ rationem sibi institueret. Id consilium alta mente volvens Lerinensem insulam, « tunc tem-« poris vacantem ob nimietatem squaloris et inac-« cessam venenatorum animalium metu..... alpino « haud longe jugo subditam petierat; » (3) ibique commorans paulo post monasterium exstruxit.

(1) Plinius, *Naturæ hist.*, lib. III, cap. V.... Strabo, *Geog.*, lib. IV.

(2) Sanctus Hilarius Arelat. *Sermo de vita St Honorati, Acta SS.*, tom. II, Januarii, pag. 19.

(3) Hilarius Arelat. Ibid.

Contigit enim, ut fama Honorati fretum transvolaret omnesque moveret qui sanctæ vitæ cupidine flagrantes, eum tanquam ducem, quem sequerentur, spectabant. Hi omnes, vita et moribus Honorati cum excitarentur, diversis locis commoti ad saxosum desertum undique concurrerunt, insulamque jam diu vacantem ita frequentem fecerunt, ut eadem ætate Hilarius Arelatensis, testis oculatus, dicere potuerit : « Certatim se jam illuc omnis regio quærens Deum dirigebat. » (1).

Ea vero fuit Honorati institutio quæ non solum monachos ad mores pie et sancte instruendos formaret, sed etiam pueros et adolescentes aleret, eorumque ingenia litteris humanis simul et scientia divina imbueret : ita ut non minore laude scientia et artibus quam sanctis monachorum moribus Lerinensis insula claruerit. Ex ea enim insula, quinto præsertim seculo et per totam ætatem merovingiacam, prodiere non pauci qui de monasterio ad dignitatem episcopalem populi suffragiis evecti, vel ad monachorum cœtum regendum vocati, sæpissime rem ecclesiasticam ea virtute gesserunt, qua constat plurimum his temporibus episcopos viguisse. Cujus rei haud incerta testimonia, ut spero, suo loco proferre arduum

(1) Ibidem.

non erit. Sed si hæc ita se habent, Lerinensem institutionem, ea ætate saltem de qua nunc agitur, maxima auctoritate polluisse minime dubitandum est. Quam inquirere nostri propositi pars erit. Sed cum ea auctoritas in his quæ tum religionem spectant, tum rem civilem, tum humaniores litteras roborandas, versatur, statim a principio hujus operis lectorem præmonere haud absurdum erit, omnia quæ a re litteraria et ab auctoritate quam in ea Lerinensis schola adepta fuit, aliena existimantur, a proposito abhorrere.

Quod ut assequar, inquirendum erit primum an Lerinensis insula schola ad pueros adolescentesque erudiendos in litteris instructa fuerit; — qui sint inter Lerinenses magistros viri insignes qui tum disciplinis suis, tum scriptis alios erudierint; — quos adolescentes præcipuos et qua mente schola Lerinensis informaverit; — qua auctoritate seculis merovingiacis et quidem quas ob causas eadem viguerit; — postea de Cæsario Arelatensi, Lerinensis scholæ alumno præcipuo, ejusque auctoritate, fusius, prout res id postulare videtur, dicendum. — Deinde, cum inquisitum erit quo vinculo Lerinensi scholæ religentur celeberrimæ institutiones quæ merovingiaca ætate in Anglia moribus pariter et artibus claruerint, quæstio

quam tractandam suscepimus, ex integro sane absolvetur.

At mihi de re non intacta scripturo, non tam nova proferre quam ea quæ passim ab aliis traduntur, vel in unum colligere, vel diligentius, fusiusque tractare, vel etiam quædam paulo diversa mente recolere in animo est. Qua de causa, cum ea sint mihi proposita, ne cui veniat in mentem, me admodum nova aggredi, antequam opus susceptum manu attingo, aliquid de nonnullis quibus ista conscribens innitor, quasi adumbrandum videtur. Digni sunt qui inter primos, muneris præcipui causa, notentur : Vincentius Barralis Salerna, in Lerinensi monasterio quondam insulanus, qui, ineunte decimo septimo seculo, majore quidem studio quam arte librum, magnæ molis neque mediocris pretii, cui *Chronologia Lerinensis* titulus ascribitur, composuit; D. Mabillonius, invicti laboris et ingentis curæ auctor, cujus libri qui tum *Annales Benedictini,* tum *Acta sanctorum ordinis sancti Benedicti* inscribuntur, plura quæ ad rem meam conveniunt attulerunt. Non omittendos puto, etsi ab eis perpauca sum mutuatus Cellier et Rivet, qui de rebus Lerinensibus in sua Sacrorum scriptorum historia primus, alter vero in Historia litterarum gallicarum disseruerunt,

quos omnes antiquiores scriptores libentius dicam : ex recentioribus vero mihi præsto fuerunt Goux et Alliez, quorum primus, « *Lérins au Vme siècle,* » alter vero « *Histoire du monastère de Lérins* » composuit; quibus merito subjungendi sunt JJ. Ampère, Guizot, Fauriel, qui in operibus suis plura de Lerinensibus studiis interdum miscuerunt. At multum desiderio fuit fere nihil invenire, quod ad rem meam conveniat, in libro de *Episcopalibus scholis* a Claudio Jolly conscripto, neque in opere *De scholis celebrioribus* quod edidit de Launoy, vel in libro qui inscribitur : *Histoire de l'éducation en France* a Thery composito : Lerinensem vero scholam ne citavit quidem Léon Maître in libro suo : « *Les Écoles épiscopales et monastiques de l'Occident.* »

Narraturus vero de rebus a nobis maximo temporis decursu distantibus, ut potui maxime, verum percontatus sum a scriptoribus ea ætate vigentibus, inter quos Lerinenses primum; deinde Sidonium Apollinarem, Gregorium Turonensem, Fortunatum, Ennodium, aliosque adnumerare æquum videtur : quorum opera vel ex editione Berolinensi cui titulus : « *Monumenta Germaniæ historica,* » vel ex ea quæ Vindobonensis academiæ cura et studio prælo mandatur collegi : interdum tamen Mignianas editiones libenter interrogavi.

CAPUT PRIMUM

AN LERINENSIS INSULA SCHOLA AD DOCENDOS ADOLESCENTES INSTRUCTA FUERIT ?

Cum ea sit monastica institutio quæ ad mores bene informandos spectet, idque sibi proposuerit Honoratus ut agendi rationem potiusquam gymnasium ad edocendos pueros institueret, statim ab hujus libelli exordio inquirere necesse est utrum, ea de qua agitur ætate, in insula Lerinensi schola ad docendos pueros floruerit, an institutio religiosa tantum quæ suos alumnos ad monasticam vitæ rationem informaverit. Eodem pacto quæ causæ scholæ Lerinensi ortum dederint inquiretur.

Quod ut rite assequamur, in memoriam revocandum est primum eam non fuisse institutionem Lerinensem, quæ ex auctoris sui ingenio omnibus armis instructa processerit : multo verius eam mox increbuisse, hujusque ætatis conspirante varia fortuna, cujus hac in causa maxime habenda est ratio, eo devenisse ut, non immutato pristino habitu, primos sibi propositos fines latius extenderet;

quo factum est, ut ii qui propriam vitam sancte exercendam sibi primum proposuerant, mox alios honestis moribus informandos humanisque disciplinis imbuendos susciperent. Idem enim Honoratus, postquam solitariam vitam agere optaverat, cumque, non multo temporis decursu elapso, frequentissimæ familiæ dux paterque factus esset, eo vi rerum adductus fuit, ut præceptor et scholarum magister fieret (1). Cum ad eum ex omni parte concurreretur, fieri non potuit, quin simul ad docendum quidam, multo vero plures ad discendum apti invenirentur; quæ eruditorum illiteratorumque hominum consuetudo si scholæ hac ætate florentis causa fuit, minime mirandum videbitur. Scholasticam enim disciplinam monasticæ institutioni maxime convenire fatendum est, nedum ab eadem abhorreat. Re quidem vera, cum sit aput monachos institutum, ut opera quædam, in quibus Scripturarum Sacrarum scriptorumve ecclesiasticorum lectio, non minimum locum dicitur obtinuisse, exerceant (2); exinde fit necesse ut ipsi, vel ante

(1) « Potat etiam profluo illo qui in se erat, cœlestis fonte « sapientiæ. Atque utinam tantum angustiæ spiritus mei recepissent, quantum ille studuit infundere. » Hilar. Arel. *Vita St Honor.*, c. V, n° 24. Patrol. lat., t. L, col. 1263.

(2) Cassiodor. *De divina institut.*, cap. 23.

quam monasterium ingrediuntur, vel postquam in ea degere vitam cœperunt, litteris humanis initientur. Quod si pluries, primis præsertim temporibus, res ita cessit, ut insulæ Lerinensis recentes incolæ, auditis jam antea alibi magistris, litterarum elementa comparassent, non deerant, qui ad eadem comparanda monasterium adibant. Pro certo enim habendum est, seculo quinto decedente, vel sexto ineunte, multos fuisse pueros qui ad monasteria, hac et illac, ut monasticam agerent vitam, accederent, cum a Cæsario Arelatensi in ea regula, quam monachis imposuit, sit præscriptum ne pueros, nisi « ab annis sex aut septem, » admitterent, qua ætate tantum « et litteras discere et obedientiæ possint obtemperare (1). »

Hæc equidem ideo attuli ut evincerem, vel a quinto seculo in omni monastica institutione necessario scholam intra muros instauratam esse. Quia vero de Lerinensi monasterio res est, communibus locis argumenta, cum quædam nobis suppetant propria, desumere parum prodest. Ex his enim tribus quæ complectitur schola, edocendis discipulis, docentibus magistris disciplinaque, nullum defuisse Lerinensi instituto, ea saltem ætate

(1) *Regula* Sti Cæsarii Arelat. Patrol. lat. Migne, tom. LXVII, col. 1108.

de qua agitur, ex historia colligere est. Chronologiam hujus insulæ perlegenti quidam occurrunt qui apud Lerinenses humanis artibus et divinis disciplinis imbuti fuerunt : quorum si nomina, habita saltem ratione temporis, æstimantur perpauca, in mentem veniat hujus rei historiam ita caligine perfusam esse, ut quædam nomina tantum, « præ cæteris » (1), ut ait Mabillonius, originis, dignitatis aut pietatis causa longissimo densatam ævo oblivionem effugerint. Inter hæc suo ordine primoque loco annumerantur Veranus Salonius que, sancti Eucherii Lugdunensis filii, qui primis quinti seculi annis, Salviani Vicentiique Lerinensis disciplinis traditi fuerunt : cujus rei certissimum oculatissimumque testem habemus, ipsum Eucherium, qui, in eo quem ad Salonium suum scripsit libro, sic habet : « Dignum namque est quacumque « cura ingenium tuum reparari, qui vixdum decem « annos natus, eremum ingressus, inter illas sanc« torum manus non solum imbutus, verum etiam « enutritus sis ab Honorato patre, illo, inquam, « primo insularum, postea ecclesiarum magistro, « cum illic beatissimi Hilarii, tum insulani tironis, « sed jam nunc summi pontificis, doctrina forma-

(1) *Annales ord. Sti Bened.*, tom. I, lib. I, pag. 15.

« ret per omnes spiritualium rerum disciplinas; « ad hoc etiam te postea consummantibus summis « viris, Salviano atque Vincentio, eloquentia pariter « et sapientia præeminentibus viris, etc. » (1).

Idem Salvianus, de quo Eucherius modo, cum, abdicata insulari militia, septem post annos inter Lerinenses exactos, Massiliam se recepisset, florentis sane apud eosdem scholæ non oblitus, juvenem quemdam, popularem suum, Lerinam misit, monachis ea occasione scribens : « Suscipite ergo, « quæso, hunc ut mea viscera, et quantum in vobis « est vestra facite, inlicite, et adhortamini, *docete,* « *instruite, formate,* gignite. » (2). Quam bene rei nostræ ea vox conveniat, nemo non videt, cum Lerinensis instituti peritissimus fuerit iste Salvianus, qui magistros ad juvenem docendum instruendum, gignendum nullibi magis idioneos, neque opportuniorem scholam quam in Lerina insula repererit.

Eadem ferme ætate germanum Sidonii Apollinaris fratrem a Fausto, primum Lerinensi monacho, postea vero Reiensi episcopo, educatum fuisse novimus : cum vero satis non constet quo anno epis-

(1) Sti Eucherii *Instruct. lib.* Præfat. ad Salonium. Patrol. lat. Migne, T. L. col. 773.

(2) Salviani Massil. opera. Edit Balusiana. Parisiis 1684, Epist. I.

copalem dignitatem adeptus sit Faustus, pariter in incerto erit, utrum Lerinensis an Reiensis scholæ alumnis Sidonii frater sit ascribendus.

Quinto seculo jam elapso, inter insulanos discipulos alium citare est, cujus nec nomen nec fama in incerto sunt, Cæsarium, Arelatensem episcopum, quem in homilia XXV ad monachos audivimus dicentem : « Cum enim parvitatem meam hæc « sancta insula, velut præclara mater et unica sin- « gularis omnium bonorum nutrix, brachiis quon- « dam pietatis excepit, et non parvo spatio educare « et enutrire contenderit, etc. » (1). Qui Cæsarius, cum rudis et octavum decimum annum agens Lerinense monasterium ingressus esset, is mox exiit quem jure meritoque præcipuum scholæ Lerinensis alumnum dicere possimus. Nec alia desunt nomina discipulorum tenera ætate in insulam advectorum, in eaque educatorum, de quibus postea suo loco fusius erit dicendum. Ubinam ipsi litteras didicissent, nisi insula schola fuisset instructa? Quanam ratione vera esset ea Cæsarii vox, de monasterio nostro loquentis : « quos nutrit parvulos « reddit magnos, quos velut tirones excipit, reges

(1) S^ti Cæsarii Arelat. hom. XXV, ad monachos. Patrol. lat. Migne, tom. LXVII.

« facit, » (1) quod, ni fallor, de animis bonarum artium et de mentibus litterarum cultura expolitis intelligendum. Ea vero institutio quæ ad mentes litteris excolendas habetur apta, schola dicitur.

Nec aliter persuasum fuisse hac ætate videtur, cum, eversis fere omnibus, quæ Roma vigente, in Gallia florebant scholis, sicut antea adolescentes in Burdigalensem, Tolosanam, Viennensem, Lugdunensemve civitatem, nunc in exorientia ubique monasteria, in primis Lerinense, edocendos cogebant. Cujus concursus, etsi rarissima sunt testimonia, cum de remotissima re agatur, quædam exstare confido quæ ex vetustissimo codice, Siffredi Lerinensis monachi vitam narrante, desumuntur. Hoc enim loco legitur : « Tempore quo florebant studia « Lerinensis cœnobii in partibus Galliarum, cœpit « undique religio christiana sub jugo Domini cres- « cere, quod portantibus leve esse dignoscitur, at- « que studiis litterarum sese committere, quo in « loco præerat egregius sacerque Christi Cæsarius « famulus..... cumque ad eum omnes unanimiter « concurrerent pro salute animarum, sive pro stu- « diis litterarum, etc. » (2). Quod si præter fidem,

(1) S^ti Cæsarii Arelat. homil. XXV, Ibid.

(2) V. Barral. *Chronologia Lerin.* Lugduni MDCXIII, tom. II, p. 130-131.

hoc loco tam illustri aliquod adhuc intercidat dubium, alium haud obscuriorem subjungere placet : « Florebat ea tempestate — tempore Dagoberti « regis — celebre illud Lerinense cœnobium S^ti « Honorati nuncupatum, in insula maris Gallici « prope Antipolim, in quod adolescentes nobiles « tanquam ad celeberrimum quoddam litterarum « et virtutis emporium confugiebant, ut ætas pue- « rilis ad virtutem honestatemque informati, brevi « virtutibus dignf essent adolescentes qui honoris « et dignitatis nomen possent sustinere. » (1). Hic igitur habes Lerinensem insulam septimo seculo virtutis litterarumque emporium, quod vulgo scholam, ad pueros bonis moribus liberalibusque artibus informandos, sine metaphora dicimus.

Porro hanc eamdem institutionem seculo proxime sequente adhuc exstantem vigentemque alia testimonia declarant. Primis enim octavi seculi annis, cum gallicas Provinciæ partes ferro incendioque vastarent saraceni et ad mortem fortiter tolerandam insulani jam sese pararent, antequam ultima fratres paterentur, inter eos assurgens, abbas Porcarius hæc orasse fertur : « Sunt inter vos, ut « non ignoratis, sexdecim pueri et triginta sex ado- « lescentes, qui, si ducti fuerint a profanis, dubito

(1) *Chronologia Lerin*, tom. I, p. 321.

« ne blanditiis sive terroribus seducantur, quos, « consulo, mittamus in Italiam, ut, cessante hac « furenti calamitate, redeant et reædificent hoc sa- « crum monasterium Lerinense, etc. » (1). Quos pueros adolescentesque novissimos ætate merovingiaca fuisse auditores, et, ut voce Quintiliani utar, scholasticos jamjam Saracenorum ruinis et cædibus perituræ Lerinensis scholæ merito dixerim. Nihil enim de postera ætate tractandum suscepi.

Sed iis omnibus quæ supra allata sunt, in eum locum adducimur ut, cum certo constet toto ætatis de qua agitur decursu, in insulam Lerinensem pueros advectos fuisse educandos, ex his concludamus illud celeberrimum monasterium schola fuisse instructum, genusque duplex adolescentium educandorum ibi fuisse versatum : unum quidem eorum qui postea *oblati* cognomine dicti interiorem *scholam claustri* frequentantes id prosequebantur, ut inter monasterii fratres cooptarentur (2); alterum vero eorum qui veluti *exteriorem scholam, canonicam* olim dictam, ita adibant, ut mox, humanis divinisque litteris imbuti, extra asperiora monasterii claustra rem agerent. Horum similes Salonium Veranumque, et Sidonii Apollinaris fratrem,

(1) *Chronol. Lerin,* t. I, p. 221.
(2) Ekkehardus : *Vita Sti Notkeri,* nº 7.

Arnulphum Metensem aut Agricolam Avenionensem, quos nullo modo inter monachos recensere fas est, satis comperimus. Illos vero pueros adolescentesve quorum meminit chronologia, ut eos tantum in medium afferam, qui Porcarii tempore in insula vitam agere cœperant, oblatos fuisse monasterio dicere licet, quos ea ætate ad monasterium, direptione a Saracenis facta, instaurandum servatos accepimus.

Quæ vero fuerint scholæ Lerinensis forma habitusve mihi non est consilium hic quærere. Etsi non fuit instituta ad Romanarum in Gallia scholarum recentiorumve gymnasiorum instar, ut quidam Gallici nominis auctores, pondere non leves id asserere videntur (1), ab his tamen non ita diversa æstimanda est, quæ identidem nobiles quosdam adolescentes originis honorisque causa non enutrierit. Suo loco demonstrabitur Lerinensis schola grammaticorum vestigiis primum inhærens, mox vero ab eis recedens ut viam diversam iniret, imbuendoque adolescentes rebus theologicis, potiusquam arte rhetorica, theologos potiusquam oratores informaret.

(1) Guizot : *Hist. de la civil. en France*, t. I, lec. IV..... Fauriel : *Hist. de la Gaule mérid.*, t. I, ch. X, p. 402-403..... Ampère : *Hist. littér.*, t. II, p. 278-279..... Michelet : *Hist. de France*, t. I, liv. II, p. 261.

CAPUT SECUNDUM

QUINAM LERINENSEM SCHOLAM INSTITUERINT

Cum ea sit omnis humanæ institutionis conditio, quæ diu perdurare non valeat, nisi ingenio opibusve, ceu fundamento suo, innitatur ; antequam ulterius progredimur, a quibus auctoribus primum fundata processerit, quibusve opibus stabilita fuerit Lerinensis schola, quærendum est. Hæc autem ejus fortuna fuit, quod omni æstimatione majus, ut statim a principio, a præclarissimis, si modo temporis rationem habeas, scriptoribus et sanctissimis viris fundata primum, continuata deinde atque illustrata sit : ita ut, mea quidem sententia, inter monasticas scholas, sive illa, sive postera ætate, non aliam invenire possis, quæ tot ac tantis simul doctis viris prædita sit ; quorum memoria, Honorati scilicet, Hilariique Arelatensis et Vincentii Lerinensis, Eucherii Lugdunensis, Lupi Trecensis, Salviani Massiliensis, Faustique Reiensis menti statim occurrit, remque totam ita dominatur, ut ab ea hæc nomina minime separari queant. Etsi unumquodque eorum nomen ita apud litteratum

quemque innotescit, ut ipsis quasi sua historia sit, tamen quia rei nostræ intime hærent, de singulis pauca referre non piget.

Ab Honorato incipiendum, cujus res præclare gestæ pari studio, pari cura, parique amore ab Hilario Arelatensi, ejus discipulo, in sermone de *Vita Honorati* eleganter narrantur. Etsi ad piorum affectus movendos, pius ipse, hæc Hilarius effuderit, ex eo tamen sermone liquet Honoratum ab adolescentia ita liberalibus artibus nutritum et eruditum fuisse, ut dignus esset qui tunc vel scholæ Lerinensi originem daret, tum ipsi disciplina sua et auctoritate præesset. Nullum quidem opus ejus exstat, quia nunquam res gestas aut dictas posterorum memoriæ mandare in animo habuit. Is tamen non discipulos tantum in insula vitam agentes doctrina informare, sed multos alios epistolarum ope in recta vivendi ratione confirmare studuit : nam « certatim ad illum latentem undique litterarum officia perlata sunt, quibus ille quam novis affectibus variata reddebat, quam gravia, « quam « blanda, quam dulcia » (1). Quod si bonis artibus mens ejus exculta fuit, quanto magis mansuetudine, patientia et omni genere virtutum, quæ pium

(1) S^tus Hilarius Arelat. *Sermo de Vita S^ti Honorati*, *Acta SS.*, t. II, Januar., p. 19. Patrol. lat. t. L, col. 1239 et seq.

sanctumque virum decent, conformata fuit ejus indoles, ita ut jure meritoque dixerit Hilarius : « Si « suo arbitrio caritas exprimenda esset..... Hono- « rati pingi deberet vultu » (1). Qui cum viginti ferme annis Lerinensi scholæ præfuisset, ad episcopatum evectus, in civitate Arelatensi vita cessit (CCCCXXIX).

Huic amore, communi patria, forsitan et sanguine, ex omnibus discipulis conjunctissimus fuit Hilarius. Is enim Leucis Tullorum e nobili loco ortus, cum liberalibus studiis aliquamdiu vacasset, profano ritu, ut ferunt, se habere cœpit. Quibus autem Honorati precibus et minis, qua verborum vi amantissima a pristino vivendi more ita sit revocatus, ut mox Lerinam insulam peteret, in laudato sermone ipse narravit (2). Contigit etiam ut, inter primos Lerinensis scholæ magistros eminens, dignus esset quem Eucherius, Salonium suum alloquens, commemoraret, ejusque discipli-

(1) Ibidem.

(2) « Hæsitantiæ meæ, invitante pio domino, totus cum « voluptatibus suis mundus adstabat : quid relinquendum, « quid appetendum videretur, animus meus tanquam collatis « apud amicum tractatibus ventilabat. Quotiens in animo meo « velle et nolle successit ! Et quid plura ? Absente illo partes « suas in me Christus exsequitur. » *Sermo de Vita Honorati.* « Patrol. lat. T. L, col. 1262.

nam laudaret. Paucissima quidem sunt ejus opera quæ exstant, cum ipsi tantum *de Vita Honorati* sermonem, alterumque *de Legionis thebaïcœ triumpho, Carmenque in Genesim,* vix centum et quinquaginta versus complectens, tribuere fas sit. Attamen citra dubium est, testimoniisque non obscuris certum, ita multa fuisse Hilarii opera ut nullum tunc temporis in usu litterarum genus intactum liquerit : homilias nempe « in totius anni festivitatibus expeditas », versus etiam « fontis ardentis », epistolas tandem quarum magnus « erat numerus » (1). Eas commemorat Eucherius sic ad Hilarium scribens : « Dictu difficile est, quanti mihi « pretii fuerint litteræ sanctitatis tuæ, in quibus « ita expressam facundiam recognovi sicut tenes « in aliis modestiæ morumque operibus principa- « tum » (2). Nec omittenda quæ annalium in modum de rebus suo tempore gestis scripserat : « quanta in hac causa dictitaverit, huic operi nulla « possum ratione connectere » (3). Hæc aliaque, quæ de Hilario traduntur, satis declarant quanta fuerit ejus diligentia sive in agendo sive in scri-

(1) *Vita Sti Hilarii Arelat.* ab. Honorato Massiliensi. *Acta SS.*, tom. II, Maïi, p. 27. Patrol. lat., t. L, col. 1232.

(2) Ibidem. Patrol. lat., t. L, col. 1232.

(3) Ibidem. Patrol. lat., t. L, col. 1233.

bendo, quanta sententiarum verborumque copia, quam facilis ingenii virtus. Narrant enim eum fuisse Hilarium, qui « Salinas expetens automata propriis manibus et sudore confecerit »; qui plurimis conciliis diversis in locis præfuerit, multa et longinqua itinera ingressus sit, qui tandem, tam solerti mente et acri ingenio sit præditus, ut simul variis operibus intentus, artem fabrilem manu et rem litterariam pariter exerceret. Cujus rei meminit Edesius Hilario nostro conjunctissimus (1). Neque aliud scripsit Honoratus Massiliensis : « Sedili mensaque opposita liber ingerebatur, et, « Titio adstante notario, liber præbebat animo ci- « bum, manus nectendi velocitate currebat » (2).

Cum fere omnia ejus opera desint, vix in nobis situm est ex cognita causa legitimum de ejus ingenio proferre judicium. Quamobrem, de ea re audiamus velim eumdem ejus vitæ auctorem, Hilarii æqualem et amicum : « Temporalis vero ejus præ-

(1) Ibidem : Vidi ego, nec dignus tanta ad præconia testis,
Plexos sole jugi digitos cessisse labori ;
Nectendi ratio varias injunxerat horas,
Nec finem precibus mutatus fecerat actus.
Credere vix possum quemquam tempore eodem
Nectere dictantem, relegendo lecta, fatendo,
Ore, manu, simul hoc operari, attendere, fari.

(2) *Vita Hilarii* ab Honorato Massil. ibid. Patrol lat., t. L, col 1233.

« dicatio quantum flumen eloquentiæ habuerit,
« quas sententiarum gemmas sculpserit..... descrip-
« tionum varias picturas et rhetoricos colores ex-
« presserit..... non dicam licere, sed ne cogitare
« me posse protestor..... si peritorum turba defuis-
« set, simplici sermone rusticorum corda nutriebat,
« at ubi instructos supervenisse vidisset, sermone
« vultu pariter in quadam gratia insolita excitaba-
« tur, seipso celsior apparebat, ut ejusdem prælati
« doctores temporis qui suis scriptis meriti summi
« claruere Silvius, Eusebius, Domnolus admira-
« tione succensi in hæc verba proruperint : non
« doctrinam, non eloquentiam, sed nescio quid
« super homines consecutum..... ut hujus temporis
« Livius, poeta et auctor insignis, publice procla-
« maret : si Augustinus post Hilarium fuisset, ju-
« dicaretur inferior » (1).

Hæc etsi nimia pietas verbis videtur amplificare, ex iis tamen eloquentiæ Hilarii monumentis quæ in nostras manus venerunt, pro vero habere non diffitebimur quæ paulo post subjungit laudatus auctor, in medium prolato quod vocat Hilarii « inexhaustum facundiæ fontem, philosophicorum dogmatum interiorem veramque doctrinam » (2).

(1) *Vita Hilarii* ab Honorato Massil. ibid. Patrol. lat., t. L, col. 1231.

(2) Honoratus Massil. Ibid., col 1230.

Non aliter sentire videtur Gennadius, cujus sententiam, ut pacem cum Arelatensi episcopo, cui fere æqualis erat, habeamus, in medium placet afferre sic expressam : « aliqua et parva edidit quæ eruditæ animæ « et fidelis linguæ indicio sunt : in quibus præcipue ad multorum « utilitatem neces- « sario opere vitam S^ti Honorati prædecessoris sui « composuit » (1). In civitate Arelatensi vi creatus episcopus, circa annum a X° CCCCXL obiit.

Eo tempore quo Hilarius Lerinense monasterium, Honorato duce, ingressus Eucherii filios primis grammaticæ artis rudimentis informabat, Vincentium quemdam, de cujus patria et familia satis ambiguum est, inter insulanos Lerinæ fuisse comperimus. Cujus si ætas, patria et aliquando etiam nomen in incerto fuere, tamen inter hujus seculi scriptores gloria non incerta. Is enim, quem inepte consulem fuisse dicunt » (2) alii ; alii vero germanum Lupi Trecensis faciunt, aut

(1) *De viris illustribus*, cap. 69. Patrol. lat. Mig., t. LVIII, col. 1100.

(2) Tillemont, *Mémoires*, t. XV, pag. 143. — Rivet, *Hist. litt.*, t. II, p. 305 « In primam venit sententiam Baronius : *Annales*, ad annos CCCC-CCCCXXXI-CCCCXXXIV. In secundam Mabillonius, *Annales Ord. S^ti Bened.*, t. I, lib. I, p. 14. — In tertiam Ampère, *Hist. litt.*, t. II, p. 18; quos omnes confutat Tillemontius loco citato.

illum Vincentium qui, ineunte seculo quinto, *Objectiones Vincentianas* scripsit, jamque satis matura ætate in insulam confugit : quod ipse nos monuit scribens : « Cum aliquamdiu variis ac tristibus « secularis militiæ turbinibus volveremur, tandem « nos in portum religionis cunctis fidissimum con- « didimus » (1). Quæ tamen fuerit ejus natura ad discendas litteras apta, quo studio, qua cura a primis saltem vitæ annis, in scholis frequens fuerit, ex his quæ modo dicentur satis clare innotescet. Is enim monasticæ militiæ ascriptus, moxque Scripturarum Sacrarum et theologicæ scientiæ peritissimus, cum perniciosæ lites, de rebus quæ ad religionem pertinent, animos exercerent, partesque in duas christianam rempublicam traherent, multa cum laude in aciem prorumpit, et « opusculum parvum mole sed virtute maximum » (2) quod *Commonitorium Peregrini inscribitur,* eleganti sermone composuit : « Alia quoque nonnulla scripsisse legitur, quæ ad notitiam non venerunt » (3).

Cum omnium manibus versetur Vincentii Lerinensis *Commonitorium,* quibus constet rebus, quam doctrinam exhibeat proferre nostrum non

(1) Vincentii Lerin, *Commonit.*, nº 1, p. 316, edit. Balus.
(2) Baronius, *Annal.* lib. ad annum CCCC.
(3) Trithemius, *De script. eccles.*, artic. de Vincent. Ler.

erit. Etsi aliquibus visum est Vincentium in Augustinum tela dirigere, eoque *Pelagianismi* nota affici, quod ipsius memoriæ quam grave sit nemo non videt, de hac re tamen cum proposito (1) satis conveniat, aliquid postea suo loco dicetur. Sed nunc ut potius Vincentii virtutem litterariam indicemus res poscit. Porro eum nobis se præbet Vincentius, qui a teneris annis litteris humanis imbutus, rebus theologicis quas postea scriptis suis tractare aggressus est, eum colorem antiquum quem ab exemplaribus profanis mutuatus est, addidit; liberaliumque artium ita peritus habitus est, ut cum Salviano Salonii Veranique præceptor eligeretur. Equidem perlegenti *Commonitorium* imago quædam artis antiquæ exsurgit, cum opusculum istud terso sermone, apta et habili rerum dispositione, multa verborum proprietate sit compositum. Licet non omnis abest ornamentorum vitiosa irreptio, attamen ita levia raraque admittuntur, ut severiorem antiquitatis imitationem exturbare non valeant. Quamobrem, jure meritoque Ebertus in Vincentio antiqui sermonis latini figuram miratur (2). Gen-

(1) Gorini : *Défense de l'Eglise*, 8e édit., Lyon 1878, t. I, p. 110. — Goux : *Lerins au Ve siècle*, p. 117 et seq.

(2) *Geschichte der Christlich lateinischen literatur*, lib. III, cap. XVIII.

nadius nitorem Vincentianæ linguæ laudibus extollit (1), Pithæusque de *Commonitorio* loquens dicit : « Nihil eo genere aut majori judicio aut acutiore « stylo conscriptum » (2). Vincentii præterea « quam « mira fuerit eruditio, libellus ipsius ostendit, ut « vix sit reperire qui paucioribus chartis majora et « feliciori tractu concluserit » (3).

Inter eos quidem sed propriis virtutibus emicuit « reverendi nominis » (4) Lupus, Trecensis episcopus : cujus etsi nulla opera, excepta quæ scripta fuit ad Sidonium Apollinarem epistola, remanent, tamen inter Lerinenses doctores, hujusque senatus fratres, honoris maximique pretii causa, ascribendus est. Is quoque Leucis Tullorum natus, a prima ætate « scholis adhibitus et rhetorum studiis imbu- « tus est. Deinde vero, jam apprime eruditum flo- « rentis eloquii fama per regiones divulgavit » (5). Postea adulta ætate, in familiam Hilarii, cujus sororem Pimeniolam optato matrimonio duxerat, cooptatus, forum adiit, causasque dicere cœpit :

(1) Gennadius : Patrol. lat., t. LVIII, cap. 80.

(2) Epistola dedicatoria ad Fabrum : *Veter aliquot Galliæ theolog. scripta*, Parisiis 1586.

(3) Baronius : *Annal.* lib. ad annum CCCCXXXIV.

(4) S^tus^ Eucherius : *De laude eremi.* Patrol. lat., t. L, col. 711.

(5) *Chronologia Lerin*, t. I, p. 33. — Acta SS., t. VII. Julii, p. 51.

quo in munere, cum haud mediocrem dicendi gloriam reportaturus videretur, Honorato Hilarioque hortantibus, consilio favente Pimeniola, in Lerinensem insulam se contulit : « Post desudatas militiæ Lerinensis excubias » (1), cum regressus esset « ad Matisconem ut ea quæ ipsi remanserant pau« peribus elargiretur » (2), communi omnium voce civitatis Trecensis episcopus eligitur. Hoc in loco ita animi dotibus et constantia, justitia, pietate, pariter et doctrina effulsit, ut dignus esset quem « facile principem pontificum gallicanorum » (3) ea ætate diceret Sidonius. Cui verbo ut assentiamur, etsi plurima non obveniunt testimonia, illud tamen suppetit quod ab historicis traditur scriptoribus, Lupum nempe, imminentibus Trecensi civitati Hunnorum turmis, inter cives perterritos, eum non suo sed suorum periculo motum, feroci duci astitisse, periculumque eloquentia animique virtute deturbavisse. Is etiam narratur Lupus quem epis-

(1) Sidonius Apoll., lib. VI, epist. I, *Ex monum. Germ. hist.* — Sic habet *Chronol. Lerin.*

Hinc Honoratum Lupus expetivit
Et gregi sancto sociatus illi
Audiens sacræ pia disciplinæ
Colla subegit.

(2) *Chronologia Lerin*, t. I, p. 33.

(3) Lib. VII, epist. 13.

copi gallicani, in concilio Arelatensi IIº coacti, in Britanniam cum Germano, Antissiodorensi episcopo, miserunt, ut doctrina simul et eloquentia *Pelagianismum* per Britannos serpentem coerceret. Convenit inter omnes Lupum Trecensem ita humanarum divinarumque litterarum studiosum, ut omni cura, omni arte qua poterat ad scholas instruendas allaboraverit, eisque omni modo per annos quinquaginta duo faverit.

Huic non cedit Eucherius Lugdunensis neque morum integritate, neque vitæ honestate, neque litterarum laude : qui cum pari dignitate esset, orsusque e senatorio sanguine inter optimates cooptaretur, Galla, quæ in matrimonium duodecim abhinc annis illi juncta erat, annuente, cum Salonio et Verano suo in insulam Lero tandem se recepit. Fama vero ejus trans mare vulgata, ex omnium consensu votoque Lugdunensi ecclesiæ præficitur. At tenuit eum insulæ desiderium et ea quam vocat « eremi caritatem » (1); qua motus, affectusque sui impatiens, ad Hilarium suum, tunc Lerinensem, exquisitum illud opusculum *de Laude eremi* conscripsit. Quod si legeris piissimæ amicisque fidelissimæ animæ imaginem sane tibi effin-

(1) *De Laude eremi.* Patrol. lat., t. L, col. 711.

ges : sed si non res tantum, verum etiam verba attendas, ingenium peracutum mentemque omnibus antiquitatis disciplinis excultam in conspectum venisse tibi persuasum erit. Citandus etiam inter Eucherii opera libellus, cui titulus *de Contemptu mundi,* ad Valerianum directus, in quo laudatus scriptor, inter multas quæ ex intimo corde procedunt paginas, non paucas miscet quæ magnum sonant, veraque eloquentia de rebus perituris renitent. Ea eorumque similia homiliarum, quas ad populum habuit Eucherius, desiderium majus injiciunt : quibus in aperto magis esset qua varietate, qua vi in dicendo potitus sit Lugdunensis episcopus, de quo scripsit Mamertus Claudianus : « Qui « scilicet viridis ævi, maturi animi, terræ dispuens, « cœli appetens, humilis spiritu, arduus merito, « ac proinde ingenio subtilissimus, scientia plenus, « eloquii profluens, magnorum sui seculi pontifi- « cum longe maximus, editis in rem fidei multiju- « gis variorum operum voluminibus » (1)... Apud recentiores ea Eucherius fortuna fruitur, ut non

(1) Mamertus Cl. *De statu animæ* II, cap. 9, p. 135, edit. Vindob. — Mire consonant quæ scripsit Sidonius, lib. IV, epist. 3, ad Claudianum, Eucherium tum antiquis auctoribus, tum sanctis doctoribus, comparans eique soli omnium virtutes tribuens, S^ti^ Hieronymi instructionem, Basilii magni correctionem et severitatem, Augustini doctrinam, etc.

tam sententiis quam puro et terso sermone approbetur, et facile inter æquales ea de re palmam assequatur. Notissima sunt enim quæ de Eucherio Erasmus, rei latinæ peritissimus, scripsit : « Si « quid meo suffragio tribuis, nihil video profectum « a nostræ religionis hominibus, qui eloquentiæ « quoque gloria floruerint, quod cum hujus phrasi « sit conferendum » (1). Hic operibus et vita insulam quam antea petierat, tantum commendavit, ut inter præcipuos institutionis Lerinensis auctores jure connumeretur.

Eximio illi scriptorum concilio ascribendus est Salvianus, qui septem per annos in monasterio Lerinensi se occultavit, ibique, teste Eucherio, cujus filius Salonius Salviani disciplina formatus est, præceptoris munere functus est. Sed cum de Salviano agitur, occurrit timor ne tanti scriptoris elogium facile extra limites huic operi præscriptos excurrat. Unus enim inter pares eminet, fruiturque celebritate maxima. Celeberrimum librum *de Gubernatione mundi*, in quo Taciti more effrenatis Gallo-Romanorum mores barbararum gentium opponit, divinam Providentiam ab iis qui eam insectantur, vindicaturus scripsit. Haud facile tibi effin-

(1) Eucherii opera, Alardo edit. 1531, Basileæ. Epistola Erasmi dedicatoria.

ges, nisi eum legis, qua vi, qua eloquentiæ flamma, quo verborum æstuante fluctu, quasi publicus accusator, omnes civitatis ordines, primores divitesque præsertim, infamiæ nota ita insimulat, ut incurrentium barbararum gentium perditæque reipublicæ causam eis attribuat : quo fit, ut Salviana narratio virtutem historicam quodam modo præ se ferat. Plura quidem continet quæ in majus ab scriptore vel aucta fuerunt, vel quæ, etsi pro certis afferuntur, in incerto tamen haberi debent. Non aliter de quatuor libris, quos in *Avaritiam* scripsit Salvianus, sentiendum est, cui ultra verum sentire quasi ingenitum. Sin autem, prætermissis quæ sunt præter æquum dicta, sermonem attendas, quæ virtus, bone Deus, quæ flamma, quæ eloquentia! Sese exhibet Salvianus sententiis pressum, ingenio acutum, lingua, habita saltem temporis ratione, nitidum, quem Tullius *incitatum, volubilem, redundantem, circumfluentem* diceret. Operis tamen initio, ne sermone decipiamur, monemur, cum res non verba Salvianus curet : « Nos autem qui rerum ma-
« gis quam verborum amatores utilia potius quam
« plausibilia sectamur, neque id quærimus ut in
« nobis inania seculorum ornamenta, sed ut sa-
« lutaria rerum emolumenta laudentur, etc. » (1).

(1) Salviani opera. Edit. Balus., Paris 1684. Præfat., p. 2.

Etsi valde periculosum est indicere diem qua Salvianus ab insula recesserit, nec certo constat quanto tempore in ea sit versatus (1), attamen pluribus annis in ea commoratus est, ita ut scholæ Lerinensi aliquid de suo ingenio eum tribuisse conjicere fas sit. Adde etiam eum ita ab insulanis recessisse, ut non omnino cum eis consuetudinem abdicaverit. Notum est enim Salvianum cum Massiliam, haud procul ab insula, se recepisset, per litteras interdum cum Lerinensibus egisse ; cujus rei testimonium erit illa quæ adhuc exstat epistola, qua Massiliensis incola pristinos contubernales, ut juvenem quemdam benigne accipiant, supplex alloquitur : quo satis clara luce apparet Salvianum, postquam ab opere insulari manum retraxit, quominus studiis suis scholæ Lerinensi faveret nunquam abstinuisse.

Ea quæ huc usque prolata sunt nomina tam insigni celebritate fruuntur, ut ipsis Honorati institutio possit esse contenta. Superest tamen ut in medium etiam proferamus Faustum Reiensem. Hunc in Britannia natum et inter Britannos omni genere humanarum disciplinarum instructum fuisse acce-

(1) In contrarias sententias ea de re veniunt Tillemontius : *Hist. eccles.*, t. XVI, p. 184; — Rivet : *Hist. litt.*, t. II, pag. 509 et seq.

pimus. Cum jam in foro dicere causas cœpisset, relictis domo patriaque, Galliam primum appulit, posteaque, ne non satis securus fieret, in insulam Lerinam se occultaturus perrexit. Quo in loco secundus post Honoratum, anno CCCCXXXIV monasterio præficitur. Cum die vigesima septima Novembris, anno incerto — a CCCCL ad CCCCLXII — Maximus, episcopus Reiensis, diem supremum obiisset, ipse Faustus in ejus locum episcopus creatur. Is episcopus factus eam vitæ consuetudinem retinuit quam servaverat abbas, « precum « peritus insulanarum quas de palæstra congrega- « tionis heremitidis, et de senatu Lerinensium cel- « lulanorum in urbem quoque cujus ecclesiæ sacræ « superinspicis, transtulisti, nihil ab abbate muta- « tus per sacerdotem, quippe cum novæ dignitatis « obtentu rigorem veteris disciplinæ non relaxa- « veris » (1). — Anno CCCCLXXVII Euricus rex, cum Arelate et Massiliam suæ ditioni subdidisset, ceteraque castella cepisset, procul dubio, quamquam id testatum non habemus, agrum civitatemque Reiensem invasit, Faustumque, ut quidam volunt, quia contra Arianos disputaverat, in exsi-

(1) Sidonius Apoll. Lib. IX, epist. 3.

lium misit. Reversus in civitatem suam, quo anno sit mortuus, ignoramus (1).

Cum agitur de operibus quæ Fausto attribuenda sint, mirum inter eruditos exoritur dissidium : qua de re, quæ tenui tantum vinculo nostræ connecti tur, novissimum Fausti editorem audire placet, qui duos *de Gratia* seu *de Libero Arbitrio* libros, duos etiam *de Spiritu Sancto* quos multi Paschasio tribuerunt, plurimasque homilias, quæ maxima ex parte Eusebii Emisseni nomine inscriptæ fuerunt, et eas epistolas quas Berolini MDCCCLXXXVII *Monumenta Germaniæ historica* prodiderunt, Fausto ascribit (2).

Erat sane Faustus omni divinarum humanarumque litterarum supellectili instructus. Philosophiam ita plane didicerat, ut tum veterum, tum recentiorum philosophorum sententias vel defendere, vel diluere posset : quamobrem, magna quadam admiratione et quasi ultra modum Sidonius ad Faustum scribit : « Igitur his animi litterarumque « dotibus præditus, mulierem pulchram, sed illam

(1) *Acta SS.*, t. II, Januarii, p. 28. — Tillemont : *Mém. eccles.*, t. XVI, p. 774 et seq. — Rivet : *Hist. litt.*, t. II, p. 607 et seq. — Ellies Du Pin : *Hist. eccles.*, t. IV, p. 417.

(2) *Studien über die Schriften des Bischofes von Reii Faustus.* Dr August Engelbrecht, Wien. 1889, Cf. *Bulletin critique*, 15 mai 1890.

« Deuteronomio astipulante nubentem, domine « Papa, tibi jugasti : quam tu, adhuc juvenis in- « ter hostiles conspicatus catervas, atque illic in « acie contrariæ partis adamentem, nihil per obs- « tantes repulsus prœliatores, desiderii brachio « vicente rapuisti, philosophiam scilicet..... Hæc ab « annis vestra jamdudum pedissequa primoribus, « hæc tuo lateri comes inseparabilis, sive in palæs- « tris exercerere urbanis, sive in abstrusis macera- « rere solitudinibus » (1). Liber de anima corporea quem confutandum opere suo de *Statu animæ* Mamertus Claudianus suscepit, inepte Fausto tribuitur, cum solum juris publici eum Faustus fecerit, Mamertusque fateatur auctoris nomen non constare : « percontor de nomine, nec responso, « nec scripto proditur » (2).

Non minus insignis fuit laudibus, quas in dicendo adeptus est Faustus, quam philosophicarum doctrinarum scientia. Hac in re iterum audiendus est Sidonius, testis Fausto amicissimus : « Licet « enim prædicationes tuas nunc repentinas, nunc « ratio cum poposcisset elucubratas, raucus plosor « audierim, tunc præcipue cum in Lugdunensis « ecclesiæ dedicatæ festis hebdomalibus collegarum « sacrosanctorum exorareris ut perorares; ibi te

(1) Lib. IX, épist. 9.

(2) *De statu animæ*. Lib. I, cap. I.

« inter spiritales regulas vel forenses, medioximum « quiddam concionantem, quippe utrarumque doc- « tissimum disciplinarum, pariter erectis sensibus, « auribusque curvatis ambiebamus, hinc parum fac- « titantem desiderio nostro, quia judicio satisface- « res » (1). Alio loco elocutionem Fausti multis laudibus Sidonius extollit : « immane, inquit, sus- « picio dictandi istud in vobis tropologicum genus « ac figuratum limatisque plurifariam verbis emi- « nentissimum » (2).

Ex tot ac tantis dotibus, quæ vel Fausto erant ingenitæ vel labore partæ, qua felicitate ad Lerinensem scholam sive instaurandam sive propagandam allaboraverit, conjicere licet, cum ei ferme viginti annis præfuerit. Citra dubium videtur eum aliquando manum operi imposuisse, et educandis pueris interdum saltem indulsisse. Sic eum Sidonius, extremis carminis quod *Eucharisticon* inscribitur versibus, affatur :

> Da Faustum laudare tuum, da solvere grates.....
> Hæc igitur prima est vel causa vel actio laudum,
> Quod mihi germani, dum lubrica volvitur ætas,
> Servatus tecum domini per dona probatur,
> Nec fama titubante pudor (3).

(1) Lib IX, epist. 3.

(2) Ibid.

(3) Sidonii Apoll. *Eucharisticon* ad Faustum. In *Monum. Germ. hist.* Berolini, 1887.

Huic opinioni libenter assentior, id Fausto in Lerinensi insula solitum fuisse, ut magistri vices exerceret, nedum existimem eum Sidonii germanum unicum ejus discipulum fuisse. Quas vices quidem fere nunquam intermisit, cum ab ipso, vel Reiensi episcopo, tum viva voce, tum scriptis, rationem agendi multi peterent. Exstant enim Fausti epistolæ ad Felicem, ad Græcum diaconum, ad Lucidum : « Quæris a me, reverendissime sacerdotum, quomodo arianis respondendum sit » (1) ; qui omnes, cum Faustum tanquam doctorem et præceptorem habeant, ab eo quid sit faciendum aut sentiendum percontantur. Quæ cum ita sint, ad id adducimur ut pro certo teneamus, eumdem Faustum, quo nemo uberius Lerinensi institutioni amplificandæ studuit, inter ejus auctores præcipuosque patronos merito ascribendum.

Jam de paucis illustribus viris, quos vocat Sidonius « de senatu Lerinensium cellulanorum, » actum est, quos perlustrare et quasi recensere, celebratis eorum præsertim in scribendo vel dicendo virtutibus, conati sumus. Uniuscujusque vero partes in schola Lerinensi regenda ut definiamus, munusque quod in pueris educandis unusquisque

(1) Fausti epistolæ I. 29. In *Monum. Germ. hist.*

obtinuit, ut exploremus, documenta desunt idonea. Eucherii testimonio Hilarium, Vincentium, Salvianum, Sidonii vero Faustum aliquando in educandis pueris versatos esse, certum est; quam longo tempore, quam multos erudierint pueros, incertum. Notandum etiam eos de quibus antea egimus magistros, intra quinti seculi limites finiisse vitam : qui vero post ipsos idem munus susceperunt, tanta nocte obvolvuntur, ut necquicquam de ipsis dicere fas sit. Hujus rei insimulanda primum ipsa ætas quæ talium satis incuriosa, indoctaque, a scribendo libenter abstinens posteris minus indulsit : deinde longa seculorum elapsorum series, qua paulatim quæque illustria obscurantur. Quia tamen Lerinensis institutionis initia, quorum notitia maxime interest, cum ab ipsis res omnis procedat, coloremque suum desumat, maxima luce perfunduntur, a nimio dolore temperandum.

Præterea solatii causa sint eæ virtutes quibus emicuerunt primi Lerinenses, quorum ea fuit excellentia, dignitas, scientia, pietas ut nunquam satis fortunam insulanæ scholæ mireris. Cum ex Quintiliano necesse sit, ut magister sit « tam eloquentia « quam moribus præstantissimus, qui ad Phœnicis « Homerici exemplum dicere aut facere doceat » (1),

(1) *De Institutione oratoria.* Lib. II, cap. 3.

talium magistrorum cœtum præstantiorem, pariterque scholam, quæ melioribus nata sit auspiciis, haud facile quinto seculo alibi quam in Lerina insula invenies. Quos vero discipulos informaverint, qua mente eos erudierint, qua auctoritate, ferme tota ætate merovingiaca, etiam extra Galliæ fines potiti fuerint, postea dicendum.

CAPUT TERTIUM

QUOSNAM ADOLESCENTES PRÆCIPUOS ET QUA MENTE SCHOLA LERINENSIS INFORMAVERIT

Solemne est inter homines, cujuslibet institutionis excellentiam, non tantum ex eorum ingenio qui in ea instituenda allaboraverint, æstimare, sed etiam ex dignitate eminentiaque eorum quibus ea ortum dedit. Contingit enim ut a magistris illustribus interdum illustriores discipuli creentur : quod quidem de Lerinensibus tum magistris, tum discipulis, pro vero non est habendum. Hi omnes qui in ea tunc celeberrima schola humanis divinisque disciplinis informati sunt, non eam adepti sunt gloriam, quæ tam alte nomina eorum evexerit, ut ipsos magistris æquaverit. Attamen, cum non omni laude sua ætate caruerint, eorumque nomina de schola Lerinensi libello intime inhæreant, quæ fuerit eorum fortuna, hic paucis amplecti absurdum vel a proposito alienum non videbitur.

Ante omnes citandi sunt, tum nominis, tum temporis causa, Eucherii Lugdunensis filii, Salonius

scilicet Veranusque, « juvenes admirandissimi » (1), qui postquam ab Hilario primum ad doctrinam, deinde a Vincentio Salvianoque ad humanarum litterarum studium in insula Lerinensi formati sunt, « dispensatione divina atque judicio magistri « ecclesiarum esse cœperunt » (2). Quæ vero fuerit utriusque fortuna, non satis constat. Salonius quidem quem Salvianus amicissime alloquitur : « cari- « tas mea, mi Saloni » vocatque, « decus nostrum ac subsidium, » (3) quam episcopalem sedem occupaverit, incertum est, cum alii Genuæ, Genovæ alii illum ascribant. Veranus autem in civitate Venciensi, prope Varum fluvium, episcopus creatus est ; eoque in munere « fuit tum observantissimus « sedis apostolicæ et tenacissimus defensor jurium « ecclesiarum » (4). Hi autem, amica et fraterna æmulatione conspirante, librum quemdam *de Proverbiis* dialogorum modo conscripserunt : cujus sermo sua ætate elegantior eam disciplinam quæ in schola Lerinensi vigebat, abunde commendavit.

Nihil est quod de Sidonii Appollinaris fratre dicamus, cujus etiam nomen ignoratur, nisi de eo mentio fit, cum dicitur : « Quandoquidem nos in

(1) Salviani opera : Epist. VIII ad Eucherium.
(2) Salvianus : Epist. VIII, ad Eucherium.
(3) Ibidem.
(4) *Chronologia Lerin*, t. I, p. 362.

« fratre meo Himerio, avum nomine, fratrem facie, « utrumque prudentia jam tenemus » (1).

Inter insulanos Lerinenses circa mediam partem seculi V, Apollinarem quemdam videre est, quem Aviti, Viennensis episcopi, fratrem faciunt, familiaque ortum quæ inter optimates Arverniæ locum obtineret. Hic enim cum Maximi, quondam Lerinensis abbatis, consilio suasuque in insulam venisset, atque ibidem sacris litteris esset initiatus, post elapsos annos paucos, episcopalem dignitatem in civitate Valentia adeptus, eo in loco « affluenti doc- « trina, flagranti in Deum amore, ovium eximia « dilectione » (2) multa cum laude floruit.

Neque silentio prætereundus est Antiolus ille, qui ab adolescentia in Lerina insula ad monasticæ vitæ rationem informatus, cum Vincentii et Salviani disciplina humanas litteras esset edoctus, a monasterio revocatus est, ut in Forojuliensium civitate episcopatum gereret. Hic est quem « gaudens cognovisse meminit » (3) Sidonius. Ea nefanda ætate vivebat qua, cædibus et incendio Galliam vastante Eurico, videbant « herbosa viridantium altarium latera depasci » (4), episcopos vero tyranno fortiter

(1) Sidonius Apoll. : Lib. VII, epist. 13.
(2) *Acta SS.*, t. III, Octob., p. 46
(3) Lib. VIII, epist. 14.
(4) Sidonius Apoll. Lib. VI, epist. 6.

obstantes, alios, ut Sidonium Faustumque, in exsilium pulsos, alios vero, Antiolumque Forojuliensem, ab Eurico necatos (1).

Fere eadam ætate in Aquitania natus est Virgilius, in insula Lerinensi primum monachus; « qui « ut interius divinæ legis præcepta agnosceret, ita « naturaliter capax acumine litterarum est studiis « eruditus, ut pastum animæ legendi aviditate col- « ligeret » (2). Hic, cum ætatis septuagesimum annum ageret, « post desudatam Lerinensis eremi « palæstram, » episcopus Arelatensis eligitur, S^to^ Gregorio, summo pontifici familiarissimus, cujus ad eum plures exstant epistolæ. Hic post annos quadraginta novem in civitate Arelatensi actos, tandem e vita cessit, centum viginti et septem annos natus : cujus Gregorius Turonensis meminit (3).

Cæsarium Arelatensem consulto cogitatoque omisi, cum de eo fuse lateque loco separato dicturus sim. Tempore vero ejusdem Cæsarii primisque seculi sexti annis, « cum..... omnes unanimiter con- « currerent pro salute animarum, sive studia litte- « rarum..... de partibus Campaniæ oriundus, sed « intra civitatem Albanam nutritus, miles qui-

(1) Gregorius Turon. *Hist. Franc.* Lib. II, cap. 25.
(2) *Chronologia Lerin.* T. I, p. 96.
(3) *Historia Franc.* Lib. IX, cap. 23.

« dam » (1) Lerinense monasterium, ut in eo novam vitæ « rationem iniret, adiit » (2). Advenerat autem cum eo Siffredus, ejus filius ; dumque pater in monastica instituta incumbebat, ipse « litterarum « studio traditur, qui in parvo temporis spatio, « viguit luculentissime in grammatica, rhetorica, « dialectica » (3), ita ut et ipse monachorum militiæ mox ascriberetur, postea vero inter episcopos, in civitate Carpentoractensi, cooptaretur.

Proximo seculo, Agricola, quem in Provincia clarissima Albinorum familia, fratre Magno, Gandaltrude matre ortum dicunt, cum vix annos quatuordecim natus esset, in insulam Lerinam se contulit, ut ad honestos mores disciplinasque formaretur. Jam « annos sexdecim in monasterio Lerinensi, « summa morum integritate vitæque sanctitate pro- « prii cordis agrum strenuus agricola perpetuo « excolens, divinis jam humanisque apprime im- « butus disciplinis » (4), transegerat, cum in locum patris, Avenionensis episcopi, defuncti, communi civitatis voto, annuente Dagoberto rege, suffectus est, anno DCL. Quo munere ita functus est, ut

(1) *Chronologia Lerin.*, t. II, p. 130-131.
(2) *Chronologia Lerin*, t. II, p. 130-131.
(3) Ibidem.
(4) Ibid., t. I, p. 321 et seq.

omnium laudibus extolleretur magnumque sui desiderium post mortem relinqueret.

Hanc discipulorum Lerinensium recensionem, etsi non suppetunt nomina omnium qui, tum ad litteras, tum ad monasticas disciplinas tantum ediscendas, in insulam venerunt, longius procedere parum prodest. Præterea huic parti, aliquod postea suo loco accedet complementum. In præsentia vero præstat, quia de Lerinensibus discipulis agitur, paucos tantum quos nota quædam commendat, hic afferre, quam ignobilem monachorum catervam, ut solet suos in acie milites imperator, explicare. Minoris enim pretii est nomina sine honore aggerare, quam eos solos qui laude insignes longam viam, quam ea ætate merovingiaca Lerinensis institutio decucurrit, propria dignitate quasi signant.

Quibus perlectis nominibus, satius erit eam disciplinam explanare qua ad litteras discendas Lerinenses discipuli informabantur : res vero, quo gratior, eo difficilior. Desunt fere omnia testimonia quæ rem perspicuam reddere queant, eoque adducimur, ut raris et minus significantibus argumentis insistentes, pauca tantum delibemus ex iis quæ intime penetrare nos plurimum juvaret. Pro certo tamen primum habendum est, in schola Lerinensi eas viguisse disciplinas quæ eadem ætate, « quan-

tum æruginosa illa ferebant tempora » (1), floruere in cœnobiis, quæ non magis erant « asceteria virtutis « quam scientiarum..... In scholis nostris doceban- « tur disciplinæ omnes : præcipue tamen vigebat « studium Scripturæ Sacræ ac sanctorum Patrum « quæ una erat theologia illius ætatis. Eo cetera « omnia studia referebantur, eo viam faciebant « humaniores litteræ artesque liberales, ut probant « Bedæ Venerabilis libri de *Arte metrica,* de *Sche-* « *matis Scripturæ,* de *Indigitatione* et Rabani opus- « culum de *Institutione clericorum* » (2). Tunc maximo in honore erat Marcianus Capella, ad cujus doctrinam librumque de *Nuptiis Philologiæ et Mercurii* (3) in scholis monasticis et cathedralibus studia componebantur. Hujus rei fidissimum certissimumque testem habemus Gregorium Turonensem, qui sub fine *Historiæ Francorum,* episcopos alloquens, quos fere omnes suo tempore ex monasticis disciplinis processisse satis constat, hæc scribit : « Quod si te, sacerdos Dei, quicumque es, Marcia- « nus noster septem disciplinis erudiit, id est, si te

(1) Mabillonius. *Acta SS. Ord. Sti Bened. Præfationes,* t. I, p. 99.

(2) Mabillonius. *Acta SS. Ord. Sti Bened.* Ibid.

(3) De *Nuptiis Philologiæ et Mercurii et de septem artibus liberalibus,* libri IX.

« in grammaticis docuit legere, in dialecticis alter-
« cationum propositiones advertere, in rhetoricis
« genera metrorum agnoscere, in geometricis ter-
« rarum linearumque mensuras colligere, in astrolo-
« gicis cursus siderum contemplari, in arithmeticis
« numerorum partes colligere, in harmoniis sono-
« rum modulationes suavium accentuum carmini-
« bus concrepare, si in his omnibus ita fueris exci-
« tatus, etc. » (1); ubi habes plane riteque descriptas eas omnes disciplinas quæ, medio ævo, trivii quadriviique nomine tradebantur. Non alio modo eadem ætate mentes excolendas docet illustrissimus auctor Cassiodorus in altera parte libri qui inscribitur : *Institutiones divinarum et secularium litterarum,* in qua notissimam trivii quadriviique partitionem exhibet; cujus vestigiis inhærens, paulo post, Isidorus Hispalensis in tribus primis hujus doctæ farraginis libris, cui nomen *Etymologiarum,* non aliam viam in litteris tradendis satis ostendit.

Qui si fuerint a quinto seculo et per totam merovingiacam ætatem ordo ritusque pueros edocendi, de quo minime ambigendum, si testibus probis prudentibusque fides adhibenda est, quæ causa esset credendi Lerinenses ab his quæ communiter vel fiebant, vel prædicabantur circa adolescentium

(1) Lib. X, cap. 31.

educationem omnino recessisse ? Revoces in memoriam tempore Gregorii Turonensis, Cassiodori, Isidori Hispalensis in insula Lerinensi studia floruisse, et ad eam concursum undique factum fuisse (1). Quonam pacto scholam, a disciplinis tunc in usu habitis probatisque alienam, frequentissimam interpreteris ? Ea erat ætas qua miles quidam e Campania, fama fortasse adscitus, in insulam cum filio suo educando venit, « qui litterarum studiis tradi-
« tus..... in parvo spatio viguit luculentissime in
« Grammatica, Rhetorica, Dialectica » (2). Paulo post de eodem dicitur : « Ad plenum edocendus.....
« luculentissime viguit in grammaticæ artis disci-
« plinis rationabilibus, ac dialecticorum prædica-
« mentorum exilibus, et Aristotelicis definitioni-
« bus, necnon rhetoricorum facundis protelationi-
« bus » (3). Cui testimonio si credere fas est, nec satis constat quare illud rejicias, jam in aperto est, Lerinensem in edocendis adolescentibus ritum cum Marciani Cassiodorique præceptis saltem partim congruere. Cum grammaticæ, rhetoricæ et dialecticæ artis principia, vel usu utiliora, vel ad mentem informandam magis quam artes quibus quadri-

(1) *Chronol. Lerin*, t. II, p. 135.
(2) Ibid. t. II, p. 130.
(3) Ibid. t. II, p. 135.

vium constat idonea sint, in ea præcipue tradenda magis incubuisse Lerinenses magistri videntur.

Præterea vi quadam et ea necessitate quæ rebus inest ad id impellebantur magistri Lerinenses, ut et ipsi easdem artes, quas in scholis romanis primum didicerant, alios docerent. Natura enim proni sunt magistri ad ea tradenda quæ et ipsi ab aliis didicerunt. Quod si verum est, quæ Hilarius Arelatensis, Vincentius Lerinensis, Salvianus, Faustus, ceterique omnes docuerint discipulos facile conjici potest. Hi sunt enim qui, primis ætatis suæ annis, in celeberrimis Galliæ scholis assidui, deinde in monasterium Lerinense artium liberalium scientiam, oratorum, poetarumque cultum haud immerito attulerant : « Sancta sunt enim studia litterarum in quibus ante incrementa peritiæ vitia dedis« cuntur » (1). Etsi profanis negotiis ipsi valedixerant, attamen, cum et poetarum modos rhetorumve eloquentiam interdum imitarentur, nedum respuerent, disciplinis in usu antea habitis perstitisse eos satis constat. Vincentius enim Lerinensis, Tullii memor, ejus sermonem passim imitari minime recusat; hunc imitatus est, imo excedit Salvianus, quem antiquitatis flores in libris suis conserere juvat. Quid de Hilario, cum in agendo indefessa corporis

(1) Ennodii Opera. edit. Hartel, épist. V, 10, p. 134.

et animi alacritate præditus, versus componens interdum delectaretur.

Quod quidem vel majore luce claresceret, si fas esset recensere quam multi, vel intra monasterii mœnia, vel abdicata Lerinensi militia ut episcoporum partes agerent, mediocri saltem litterarum laude floruerint : quam recensionem opportuniore loco postea manu attingere in proposito est. Educandis enim episcopis quam apte conveniat humanarum litterarum cultus aperte declarat Celestinus, summus Pontifex, in sua ad episcopos Narbonnensis provinciæ epistola, qua eos qui a litterarum studio recedendum putant, vehementer improbat : « Si quis minime litteris operam dederit, præceptor « esse non potest litterarum » (1). Qua sententia laudatus Pontifex jubet eos, antequam episcopalem dignitatem accedant, litteras in scholis discere qui postea magistri habendi sint. Cum vero inter scholas quæ hac eadem ætate episcopos informaverint, præcipuum locum obtineat Lerinensis institutio, ea de causa satis innuitur ad formam a Celestino præscriptam adolescentes erudiendos a Lerinensibus fuisse susceptos.

Eam vero formam puerorum litteris informandorum quasi gradus plures in schola Lerinensi

(1) Patrologia lat., t. L, col. 433.

obtinuisse ut credamus necesse est, cum testimoniis supra allatis sit compertum in eam venisse non paucos qui primis litterarum elementis essent initiandi, contraque ex ea processisse qui vice sua tum verbo, tum scriptis, alios erudirent. In monasteriis enim, eo tempore jam ubique exorientibus, solitum accepimus pueros ab anno septimo vix incepto suscipi (1), quos ad litteras primum discendas, deinde signandas detinebant. Neque etiam deerant qui rudes et adulta jam ætate Lerinense monasterium ingressi, primis litterarum elementis erant imbuendi, quod de Cæsario Arelatensi affirmare forsan liceret (2). Is tamen, biennio apud Lerinenses vix peracto, ita edoctus exiit ut Pomerii, rhetoris, haud immerito discipulus fieret (3). Haud alia ratione jure dicitur inter pueros qui, monasterium Lerinense petentibus Saracenis, ex insula fugerunt, quosdam fuisse qui primo scientiæ gradui adhibebantur.

Quod si ab humili principio scholasticam institutionem Lerinenses rite incipebant, attamen eam in his angustis finibus non omnino metiebantur, longiusque procedebant, quod scholarum proprium

(1) Cf. regulam S^ti Cæsarii ad monachos et virgines. Patrol. lat., t. LXVII, col. 1099-1108.

(2) *Vita S^ti Cæsarii Arelat.* Patrol lat., t. LXVII, col. 1003.

(3) Ibidem, col. 1004.

erat munus. Solemne enim erat tum ea, tum præterita ætate apud honestas matronas, Quintiliano favente (1), ab ipsis prima litterarum rudimenta suis liberis tradi : quod eo tempore de sancto Fulgentio refertur : « Litterarum proinde græcarum percepta « scientia, latinis litteris — quas magistri ludi « docere consueverunt — in domo edoctus artis « grammaticæ, traditur auditorio » (2). Quod de filiis Eucherii verum facillime effingo, qui jam grandiores a matre sua Galla Lerinensibus magistris tradebantur edocendi (3). Nec aliter — ut plures omittamus — sentiendum de Agricola, qui nobilissima familia ortus, cum jam annorum esset quatuor decim, haud omnino indoctus Lerinensem scholam adiit : qui omnes inter educandos aliquem gradum superiorem obtinebant, doctrinamque uberiorem consequebantur. Hos varios in scientia impertienda gradus notare videtur Eucherius, qui ad Salonium suum scribens, eum memorat ab Hilario primum edoctum, *consummatum* vero deinde a Vincentio et Salviano (4).

(1) De Institut. orat. I, 6. Cf E. Jullien : *Les professeurs de littérature dans l'ancienne Rome*. Paris, 1885, p. 150.

(2) *Vita Sti Fulgentii*. Patrol. lat., t. LXV, col. 119.

(3) Ea de re Cf. Sidonium Apollinarem, vel quæ de eo scripsit Chaix, *S. Sidonius Apol.*, t. I, p. 336.

(4) *Instruction*, lib. ad Salon. *Prolog.* Patrol. lat., t. L, col. 773.

Præterea haud aliter in profanis scholis res cedebat, cum in ipsis pueri jam primis litterarum elementis initiati grammaticis primum, perceptaque re grammatica, deinde rhetoribus tradebantur. Ea autem erat apud antiquos ars grammatica — teste Quintiliano (1), — quæ ad legendos libros, tum a poetis tum ab historicis scriptoribus compositos, ita animos intendebat, ut omnia huic operi connexa simul complecteretur, inter quæ stylus resque metrica primum locum obtinuisse videntur. Hac eadem disciplina, de his omnibus quæ stylum spectant, seu de rebus, seu de verbis ornamentisque sermonis, quas figuras vocant, fusius agebatur; propriaque arte ut eos, qui exemplo erant, imitarentur, variis seipsos exercendi modis conabantur discipuli. Ab eo usu antiquitus habito ars grammatica, quæ a Lerinensibus docebatur, non omnino recedebat. Cum enim de iis quæ artem grammaticam spectant agit Eucherius, ea quidem in medium profert quæ, ad sermonem et figuras pertinentia, stylo propria habentur (2). Quinimo, nec a legendis interdum antiquorum scriptorum libris abstinebant Lerinenses discipuli (3), dignumque quod animad-

(1) *De Instit. orat.* lib. I, cap. IV.
(2) *Formularum spirit. intell.* lib. Patrol. lat., t. L, col. 728.
(3) Cf. *Vit. S^ti Cæsarii.* Patrol. lat., t. LXVII, col. 1005.

vertamus Salonium Veranumque, postquam ab ipsis propositum est aliqua componere, dialogi modum elegisse, ita ut statim veniat in mentem ab eis quodam modo Platonem Ciceronemve imitatos fuisse (1). Neque silentio prætereundum a grammaticis ita informatos esse discipulos ut statim rhetoribus traderentur, quemadmodum et ipse Cæsarius e Lerinensi schola in auditorium Pomerii rhetoris transmissus est.

Cum apud Romanos summa esset laus in dicendo, præmiaque eloquentiæ in republica, tum veteri, tum recenti, maxima haberentur (2), eo fere omnes spectabant discipuli ut in scholis a rhetoribus perorare discerent : hoc erat disciplinæ quasi premium. Vix credo equidem Lerinenses multum contulisse operis in tradenda discipulis suis rhetorica arte. Tempus enim est quo Arianismi veneno, ab Oriente ad Occidentem, importantibus Gothis, diffuso, Pelagii, Priscilliani, aliorumque dogmatibus christiana respublica agitatur. Neque novissimi in aciem devenerunt magistri Lerinenses, cum, Vincentio, Salviano, Faustoque ducibus, jussi erant in prima acie rem agere. Alio igitur spectabant, quam ut eleganter per jocum tum : *Verba Thetidis*

(1) Patrol. lat., t. II.

(2) Exemplo sint quinto seculo Sidonius Apoll. imperatoris Aviti gener, et Leontius rhetor, Eurici, regis, familiaris.

cum Achillem videret extinctum..... aut *Verba Menœlai cum Troïam videret exustam.....* vel *Verba Junonis cum Anteam videret parem viribus Herculis exstitisse* (1) effingerent. Lerinenses vero discipuli de servandis dogmatibus, de libertate quæ datur homini, de natura animæ humanæ libenter disserebant (2), atque ita parce tum rei grammaticæ, tum rhetoricæ operam dabant, ut ad philosophiam theologiamque se converterent, insulanaque schola, tum ad philosophicas, tum ad theologicas quæstiones evolvendas, Fausto Vincentiove auspicibus, sese libentius accommodaret. Quod non tantum ex Lerinensium magistrorum libris — quibus tamen aliquo modo luce clara res apparet, — cum fuerit Faustus quem Sidonius existimaverit philosophiam sibi rapuisse et jugavisse (3); sed etiam ex his quæ vel a discipulis Lerinensibus scripta fuerunt, vel eorum mentem doctrinamque aperiunt. Inter ea de quibus a Salonio suo interrogatur Eucherius, multa sunt quæ mentem philosophicis rebus (4), vel etiam difficillimis, deditam ostendunt : *Cum omnia bona Deus fecerit, nihilque non ab illo factum sit, unde malum ?..... Quid de tene-*

(1) Ennodius. *Dictiones* XXV-XXVI-XXVII, pag. 500 et seq.
(2) Cf. Vincentii Lerinensis et Fausti opera.
(3) Sidon. Apolli opera. l. IX, epist. 9.
(4) *Instruct.* lib. I. Patrol. lat., col. 775-776, t. L.

bris sentiendum sit ?..... Si Deus hominem immortalem fecerit, quemadmodum potuit mori ?..... Non alia ratione in suo Dialogorum libro Salonius Veranusque plura miscent ad philosophiam pertinentia (1). Quo satis aperte declaratur apud Lerinenses, adepta rei grammaticæ mediocri scientia, vix ad rhetorum artem, sed potius ad philosophorum disciplinam conversos fuisse discipulos ; quod etiam apud Romanos, raro quidem, cum et ipsi philosophiæ parum curarent, factum traditur (2).

Hanc autem, tum a profanis, tum a christianis philosophis acceperant Lerinenses « in tres partes « divisam, physicam, ethicam, logicam, id est, natu- « ralem, moralem, rationalem..... naturalem illam « pertinentem ad causas naturæ quæ universa con- « tinet ; moralem, quæ respiciat ad mores ; rationa- « lem vero, quæ de sublimioribus disputans, Deum « omnium patrem esse confirmet. » (3). Quo Eucherii testimonio, saltem si proximam hujus sententiæ partem mente contempleris, facile dignosces, jam ea ætate id esse philosophiæ munus quo theologiæ ancillam se præberet.

Ita rem cedere conveniens et quasi necesse erat.

(1) *Dialog.* lib. Patrol. lat., t. LIII.

(2) Seneca phil. *Quæst. natur*, præf. 14.

(3) Eucherii op. *Formul. spirit. intel.* Præf. Patrol. lat., t. L, col. 728.

Quemadmodum in scholis romanis, licet adolescentes varie palestra, musica, aliisque artibus exercebantur, eum tamen præcipuum finem intendebant, ut exirent oratores, ita in scholis monasticis communiter, necnon apud Lerinenses, id erat præcipue intentum, ut informandi adolescentes eam scientiam qua sacra Theologia conflatur, consequerentur. Nec mirum, cum theologos potiusquam aut grammaticos, aut rhetores, sese exhibeant tum magistri, tum discipuli Lerinenses. Erat igitur in primis theologica Honorati schola. Complectebatur autem apud insulanos theologica scientia « omnia a « patribus sanctis accepta... a majoribus tradita... « quæ scilicet divinæ legis auctoritate, tum deinde « Ecclesiæ catholicæ traditione » (1) probabantur. Ab auctoritate Legis et ab ecclesiastica Traditione « quod ubique, quod semper, quod ab omnibus « creditum est » (2) petebant. Quibus ex theologicis fontibus, cum Sacri Libri magis essent in promptu quam innumera volumina Patrum, majoreque auctoritate, ratione originis, pollerent, quanto studio et favore eos perlegerint Lerinenses discipuli jam in aperto est. Quod tamen magis declaratur iis omnibus quæ tentavit Cæsarius Arelatensis, ut Sacro-

(1) Vincentii Lerin. *Common.*, cap. I.
(2) Ibid. Ibid. cap. II.

rum Librorum studium, tum apud monachos, tum apud virgines promoveret (1). Ex eo quod necesse fuit ut Sacros Libros scrutarentur doctores christiani ad ea, quibus adhibenda esset fides, aliis tradenda, enata est in scholis ecclesiasticis scientia quædam quam *Exegesim* vocant; cujus quæ forma apud Lerinenses fuerit, inquirere proposito nostro apte conducit.

Quod ut exploremus veniunt in manus tum Eucherii liber *Formularum spiritalis intelligentiæ,* tum ejusdem libri *Instructionum* in quibus Salonium interrogantem docet, tum etiam Verani Saloniique *Dialogorum* liber. In ea enim præfatione quæ *Formularum* librum antecedit, Eucherius mentem qua hac ætate solebant Scripturas Sacras interpretari nobis aperit, qua « docti quique hanc « cœlestem Scripturarum philosophiam secundum « historiam, secundum tropologiam, secundum ana« gogen disserendam » (2) existimabant. Ad historiam referebantur ea omnia quæ « veritatem factorum ac fidem relationis, » inculcantia eam scientiam, quam *criticam* vocant, constituunt. Id autem *tropologiæ* munus erat, ut e Libris Sacris, « ad vitæ

(1) Cf. Regulam homiliasque Cæsarii ad monachos. Patrol. lat., t. LXVII.

(2) Patrol. lat., t. L, col. 728.

« emendationem mysticos intellectus » decerperet, dum « *anagoge* ad sacratiora cœlestium figurarum » (1) perducebat. Exegetica igitur scientia contemplativam, quatenus historico ritu quid factum fuerit, vel anagogico quid de futuris et cœlestibus sit credendum et sperandum inquirit, activam vero, cum quæ sint agenda inquirit, apud Eucherium, quem inter Lerinenses connumeravimus, sese exhibet. Quartus tamen ex Eucherii testimonio exstitit interpretationis modus, quo per allegoriam in gestorum narratione *futurorum* umbra detegitur.

Quod si Eucherio ejusque filiis fidem præbemus, adducimur ut Lerinenses, cum de Scripturis interpretandis agebatur, historiæ parum curavisse fateamur. Ipsis enim neque de ætate, neque de auctoribus, neque de causis quibus firmati his libris fidem adhibeant, aliqua inquirere curæ est, vel divina humano ritu tractare. Ab istis regula morum vel « sperandarum substantia rerum et argumentum non apparentium » (2) maxime petuntur, ita ut omne Scripturæ Sacræ studium « spiritalis intelligentiæ interpretatione consistat » (3). Quapropter Eucherius « nominum atque verborum significan-

(1) Patrol. lat., t. L, col. 728.

(2) Sti Pauli *epist. ad Hebr.* XI, 1.

(3) Eucher. *Formul. spir. int.* Præf. Patrol. lat., t. L, col. 728.

tias secundum quas vel maxime in allegoriam trahuntur » (1) ita explicat, ut unumquodque nomen sive eorum quæ in cœlis, sive eorum quæ in terra sunt, allegoricum sensum præ se ferat : « Brachia « Dei Patris Filius ejus et Spiritus Sanctus accipi- « tur..... Manus Dei Patris Filius ejus accipitur..... « Digitis Dei pluraliter sancti intelliguntur prophe- « tæ..... Pallium Christi jam dicta Ecclesia intelli- « gitur » (2).

Id etiam quod agit aut agere dicitur Deus allegoricam intelligentiam præbet : « Sedere dicitur Deus « super Cherubin, qui interpretatur multitudo seu « plenitudo scientiæ.... Stare dicitur Deus cum nos « infirmos patienter sustinet..... Ambulare Dei est « in sanctis prædicatoribus suis de loco ad locum « transire » (3).

Haud alia ratione quamcumque vocem allegorice interpretatus est Eucherius : « Mensium nomine « qui diebus coadunantur collectiones animarum « designantur..... Montes, Dominus, Ecclesia, apos- « toli, sive sancti a celsitudine virtutum, sunt..... « Auroræ nomine mens justorum accipitur..... (4).

(1) Eucher. *Formul. spir. int.* Præf. Patrol. lat., t. L, col. 729.

(2) Ibid. col. 730-731-732.

(3) Ibid. col. 734-735.

(4) Ibid., col. 742.

« Aves sancti sunt quod ad superiora corde evo-
« lent..... Onager, eremita..... Vulpes, hæreticus vel
« diabolus.... Asina, caro vel plebs carens Dei noti-
« tia..... talpæ, idola vel hæretici qui non vident
« veritatem » (1) Humani quoque corporis membra allegorico sensu non carent : « Vertex, summitas « justitiæ; collum, Sancta Scriptura; pectus, arca-
« num intelligentiæ; lumbi, fortitudo animi; ossa,
« firmitas animi » (2).

Eumdem allegoricæ interpretationis modum præ se fert Eucherius in libro suo *Instructionum* ad Salonium, pariterque prosequitur ut mysticos sensus filio suo reseret. Interrogavit Salonius : « Quem « significat dicens : Exterminavit eam aper de silva « et singularis ferus depastus est eam? » Cui respondet Eucherius : « Aprum hic Vespasianum, ut « quidam dicunt, vult intelligi, qui Judæos bello « vastavit. Singularem ferum, Titum, Vespasiani « filium, qui Jerusalem oppugnatione consump-
« sit » (3).

Ubi vero nullus datur allegoricæ interpretationis locus, tum ad eam quam anagogicam dicunt deflectit Eucherius, seu ad ea quæ credenda sunt, tum ad tropologicam dictam, ad ea, quæ agenda

(1) Eucher. *Formul. spir. intel.* Patrol. lat., col. 727-753.
(2) Ibid. col. 758.
(3) *Instruct.* lib. I. Patrol. lat., t. L, col. 775.

sunt, animis injicienda ; utrumque explicationis genus hac in responsione invenire est : « quid intel-
« ligendum est de arbore illa scientiæ boni et
« mali ? — « In primis ne, ut quidam hæretici inter-
« pretantur, malorum ita et bonorum putetur ex
« hoc conditor Deus — quod doctrinam spectat. —
« In arbore quippe illa, quæcumque erat, præcep-
« tum Dei intelligendum est ; sed in custodia præ-
« cepti scientia erat boni, in transgressione præ-
« cepti scientia erat mali. Ergo degustata arbore,
« id est, præcepti lege violata, scientia erat mali,
etc. » (1).

Hoc interpretationis genere omnis dubitandi locus qui ex lectis Sacris Libris videtur exsurgere, omnino tollitur. Quæritur enim a Salonio : « Cum nulla
« esse apud Deum ignorantia possit, quomodo ipse
« in libro Geneseos in exordiis dicit : Adam ubi es. »
Cui respondet Eucherius : « Hoc est dicere ; Adam,
« quo recedisti? non ergo vox ista quasi pro ambigui
« sciscitatione quærentis est, sed cum increpatione
« interrogantis est. Et aliter : sermo hic, non Deum
« veri inscium, vel ubi esset Adam, Deum ostendit
« ignarum, sed illud potius ostendit, quod omnis
« ille qui peccat, velut jam erroribus suis devius,
« et per delictum recedens a conspectu Dei, notitia

(1) *Instruct.* lib. I. Patrol. lat., t. L, col. 775.

« ejus efficiatur indignus. Et aliter : interrogat, ut « suis quisque responsionibus convincatur » (1).

Sed in Scripturis interpretandis non alios quam patrem suum, Salonium et Veranum invenies, quorum *de Proverbiis* Dialogus ad rem nostram attinet. Hi enim allegorici sensus curam potissimum habere videntur. « Quid est quod ait : Inclina « cor tuum ad intelligendam prudentiam ? quomodo « potest homo inclinare cor?..... Quid est quod « dicit : Sapientia excidit columnas septem? Quid « est columnas septem excidere ? » Iidem vero, detecta allegoria, respondent : « Ille inclinat cor suum « ad cognoscendam prudentiam qui humiliat se et « emundat animum a peccatis, ut dignius fiat ad « percipienda mysteria divinitatis..... Excidit colum- « nas septem, quia mentes prædicatorum ab amore « præsentis seculi separavit et erexit eos ad por- « tandam ejusdem ecclesiæ fabricam » (2).

Longum est ulterius exempla producere. Ea tamen aliaque miscendo, Eucherius jactans e suo ingenio hæc a se fundi non prædicat, imo vero ea omnia « ex illustrium doctorum judicio » (3) de-

(1) *Instruct.* lib. I. Patrol. lat., t. L, col. 776.

(2) *De Proverbiis dialogus.* Patrol. lat., t. LIII, col. 968.

(3) Eucher. *Formul. spirit. intel.* Patrol. lat., t. L, col. 770.

promi, atque in medium ea proferri « quæ ut accipienda traduntur » (1), aut ea quæ « dixerunt « alii » (2) non semel affirmat. Erat igitur ea ætate circa Libros Sacros interpretandos traditio quædam, clarissimorum doctorum auctoritate conflata, quæ in scholis christianis recepta, apud Lerinenses docenda habebatur. Huic se insistere profitetur Eucherius; hanc ab eo inquirit Salonius interrogans de locis Scripturæ Sacræ obscuris : minime ab ea recedere curant Salonius Veranusque, Lerinenses alumni, quibus *de Proverbiis* dialogus haud mediocri jure tribuitur. Ea enim exegetica forma, quam allegoricam dicunt, antiquitus in usu apud christianos doctores habita fuit, nedum auctores ejus fuissent Lerinenses. Meminerimus enim ab ipso Paulo aliquando per allegoriam Mosis libros interpretatos esse (3). Scitum est quam libenter Ambrosius, ut de ceteris taceam, Libros Sacros est interpretatus (4) : quod explicationis genus, in Lerinensi schola receptum, ita mox invaluit, ut

(1) Eucher. *Formul. spirit. intel.* Patrol. lat., t. L, col. 761.

(2) Eucher. *Instruct.* lib. I. Patrol. lat., t. L, col. 791.

(3) S^ti^ Pauli. *Epist. ad Gal.* c. IV, v. 24 « quæ sunt per allegoriam dicta. »

(4) *Hexameron :* Patrol lat., t. XIV, col. 119 et seq. — *Enarrationes in XII psalmos :* col. 921 et seq.

ævo medio proximaque ætate ultra modum haberi visum sit (1).

Id etiam animadvertamus velim, cum de *exegetica* scientia agitur, incubuisse Lerinenses ut e Sacris Libris rem theologicam, seu ad regendos mores, seu ad evincendam doctrinam, excerperent, viamque iniisse qua ante simul et post ipsos incesserunt clarissimi in Ecclesia doctores. Ultra vero sententiarum explicationem, tum contemplativam, tum activam, procedere, ut inquirerent qua auctoritate confirmati, quam incorrupti, quam veri sint Sacri Libri, quam varia, quam gravia problemata excitent, apud Lerinenses ne quidem cogitatum est; qui ab ecclesiastico magisterio acceptis his Libris, dubitandi causæ alicui minime occurrerunt. Ipsis igitur omnino ignota erat ea apud recentiores enata *exegesis,* quæ humano ritu Sacros Libros pertractans, ab eis quid factum sit aut creditum potius quam quid faciendum sit aut credendum requirit.

Quemadmodum apud Romanos ars rhetorum discenda quasdam alias artes veluti musicam et declamationem conjunctas sibi ferebat, ita apud Lerinenses *exegetica* scientia quædam sibi connexa

(1) Cf. S^ti^ Prosperi *Expositio Psalmorum*. Patrol, lat., t. LI, col 278. — Cassiodori *Expositio in cantica canticorum*, t. LXX, col. 1057.

studia intulit, inter quæ notanda in primis erit hebræi vel græci sermonis peritia. Græcæ quidem linguæ peritos fuisse Lerinenses vix in dubium adduci potest, cum ex vita sancti Cæsarii (1) constet ipsam plebem Arelatensem, ad instar clericorum, Græca lingua in ecclesiis cantare, quam e Massilia per totam provinciam diffusam ferunt. Quod si clerici primum plebeiique, apud Massilienses finitimosque, trilingues erant, ut ait Varro (2), eo minus mirandum erit Lerinenses discipulos sermonem græcum discere, quo magis libenter versione græca ad Scripturas interpretandas nonnumquam utebantur Salonius et Veranus (3).

Neque ab ea sententia abhorreo qua putem eosdem operam dedisse linguæ hebraicæ interdum discendæ. Nullus datur dubio locus cum de Eucherio agitur, eo quod ipse ad Scripturarum interpretationem voces hebræas sæpissime in medium profert (4), et ad earum etymologiam seu compositionem pariter recurrit. Quinimo et fere totum librum secundum *Instructionum* ad Salonium suum voci-

(1) *Vita Sti Cæsarii*. Patrol. lat., t. LXVII, col. 1008.

(2) S. Hieronymus in proœmio lib. secund. in epist. ad Galatas.

(3) Eucher. *Instruction*. lib. I. Patrol. lat., t. L, col. 787-793, t. LIII, col 933.

(4) Eucher. *Instruction*. lib. I. Patrol. lat., t. L, col. 775-

bus hebræis ex etymologia explicandis contexuit. At eumdem Salonium omnino expertem sermonis hebræi non facile effingo, cum ipsi scribens Eucherius, ad fidem translationis faciendam, vim vocis hebrææ invocet, eamque sæpe in medium legendam proferat. Hieronymo duce, ratum habent ecclesiastici doctores firmo suo fundamento carere scientiam exegeticam, quæ, hebræi sermonis peritia destituta, Libros Sacros interpretandos aggreditur.

Ex allatis modo jam perspicuum est quam distaret Lerinensis schola ab eis quæ apud Gallo-Romanos tanta laude et auctoritate polluerant. Dum in istis « oratorio et camenalibus modis imbuebatur » (1) iisque insistebat erudiendus adolescens, ea vix tantum apud Lerinenses attingebat, quantum ad scientiam sacram aliaque omnia huic conjuncta percipienda necesse habebatur, ita ut inter primas Lerinensis schola hujus, quam *clericalem* ea fere ætate dicebat Ennodius (2), scientiæ formam edidit. Quo fiebat, ut ex ea theologi quidem, tum episcopi tum monachi, vel tantum clerici, exirent,

(1) Sidon. Apoll. Lib. III, epist. 13 ad Ecdicium.

(2) Ennodius. Epist. IX, 9, p. 234 « Properantes ad se de « disciplinis secularibus salutis opifex non refutat, sed ire « ad illas quemquam de suo nitore non patitur. Jam si eum « mundo subtraxeras, mundi in eo schemata non requiras : « erubesco ecclesiastica profitentem ornamentis secularibus « expolire. »

dum e profanis scholis poetæ vel rhetores, aut saltem profana antiquitate imbuti procedebant. Jam artes novæ in usu atque honore esse cœperunt, receditque venerabilis antiquitas, quam ætate postera magis in dies oblivioni obnoxiam cernere est. In id vi rerum potiusquam ex cogitato conspiraverunt primi Lerinenses : at post eos non desunt qui ex consulto, inter quos Cæsarius, ut repudiaretur profana antiquitas allaboraverunt.

CAPUT QUARTUM

QUA AUCTORITATE LERINENSIS SCHOLA ÆTATE MEROVINGIACA VALUERIT

His omnibus, quæ antea disseruimus, quæ fuerit Lerinensis institutio, quantum saltem ad litteras docendas, quibus constiterit elementis, qua vita prædita sit, explanare, omni qua potuimus cura conati sumus. Reliquum est, ut postquam de magistris discipulisque Lerinensibus actum est, qua auctoritate, ætate merovingiaca, Lerinensis schola viguerit, inquiramus. Quam ob causam evolvendæ sunt chartæ quibus perspicuum est, quæ fuerit ea ætate Lerinam concurrentium multitudo, et quibus de causis in insulam acta fuerit ; qui fuerint, inter eos qui ex institutione insulari processerunt, insignes episcopi quorum historia meminisse curavit ; quas tandem provincias invasisse ea auctoritas videatur : quibus argumentis, nisi fallor, suscepta quæstio omnis absolvetur.

Fere omnia, quæ nostras in manus venerunt, testimonia frequentissimam fuisse Lerinam adve-

nientium turbam haud ambiguo declarant. Statim ab institutionis principio, insulanorum numerus ita augetur, ut ipse Honoratus, qui eremiticæ vitæ rationem sibi proposuerat, eo adducatur, ut quod cœnobium vocant, instaurandum aggrediatur (1).

Quod ut vero similius ostendatur, in mentem veniat Eucherius, qui ætate non alia, post dies elapsos quibus frequentem in insula Lerinensi monachorum cohortem inviserat et cum ea per aliquot annos vitam degerat, ad Hilarium suum in insulam redeuntem sic scribebat : « Quos ego illic, Jesu « bone, sanctorum cœtus conventusque vidi ! » (2). Cum his vocibus plane congruunt et ab eis majorem desumunt lucem ea quæ obiter Salvianus adjicit, cum ad Lerinenses, ut saltem verisimillimum est, quemdam mittens, in epistola fatetur se timere « ne multis molestus sit » (3). Ne putes hunc concursum quo in insulam vehebantur, eamque frequentiam concurrentium, decursu temporis, ut sæpe solitum in humanis, paulatim decrevisse, argumento sint ea quæ a Cæsario Arelatensi de Lerinensi insula ad monachos dicebantur : « Beata, inquam, et « felix insula Lerinensis quæ cum parvula et plana

(1) Sermo Sti Hilarii : *De vita Sti Honorati*. Acta SS., t. II, Januarii, p. 27.

(2) *De laude eremi*. Patrol. lat., t. L, col. 711.

(3) Epist. I.

« esse videatur innumerabiles tamen montes ad « cœlum misisse cognoscitur » (1). Quo montium nomine monachos ad cœlum moribus et mente erectos facile noveris designari, cum Lerinensis insula angustior sit quam ut plurimos habeat montes. Nescio quo casu idem significans fere iisdem utitur vocibus Sidonius, qui de eadem insula hæc scripsit :

> Fratribus insinuans quantos illa insula plana
> Miserit in cœlum montes : quæ sancta Caprasii
> Vita senis, juvenisque Lupi; quæ gratia patrem
> Mansit Honoratum, etc..... (2).

Testimoniis si creditur in diem illustrioribus, ea fuit Lerinensis fortuna ut ineunte seculo septimo, « ad eam omnes unanimiter concurrerent » (3), nedum prædicta frequentia apud insulanos tempore imminueretur : quod equidem iisdem fere vocibus, non semel sed pluries, ut majorem in nobis injiciat fidem, asserit *Chronologia :* « ad locum itaque illum « concurrebat hominum pene incredibilis multi- « tudo » (4). Nec eam vocem *incredibilis* rejiciendam censeo, cum alibi de sancto Amando, abbate, qui septimo seculo, quo maxime florebat Lerinense

(1) *Homilia XXV ad monachos.* Patrol. lat., t. LXVII.
(2) *Eucharisticon* ad Faustum.
(3) *Chronol. Lerin,* t. II, p. 130.
(4) Ibid., p. 137.

monasterium, dicitur « sub se habuisse trium « millium et septingentorum monachorum nume- « rum » (1). Is equidem incredibilis, si ad insulæ tractum spectas, numerus eos omnes complectitur qui extra Lerinæ limites in cœnobiis, de quibus postea agetur, cum Lerinensi sociatis eumdem ducem observabant. Quidquid ab eo numero deducendum est, tamen frequentissimam fuisse insulam satis constat, ita ut haud injuste *Chronologiæ* auctor exclamare possit : « non enim tot ille fatalis « troianus equus viros fudit martiales, quot insula « parva misit ad astra viros » (2).

Quod si perlectis quæ supersunt nominibus et eorum quos historia memorat gestis recognitis, quæritur quibus orbis ex partibus, et unde, in insulam advenerint, in eam adducimur sententiam, Lerinensem scholam jam a seculo quinto ita fama celebrem fuisse, ut maxima auctoritate apud omnes occidentales populos viguerit. Sic ad eam concurrisse notum est ex extremis Britanniæ partibus Faustum Patriciumque, e Belgarum partibus Salvianum, e superis Galliæ regionibus Hilarium, Lupum Trecensem, ejusque germanum, Vincentium Lerinensem, Cæsariumque ; e Dacia Antonium

(1) *Chronol. Lerin*, t. II, p. 80.
(2) Ibid., p. 149.

cujus vitam enarrare Ennodius curavit, e partibus septentrionalis Italiæ illum monachum incerti nominis, de quo idem Ennodius ad Archotomiam matrem epistolam scripsit (1), e Campania Siffredum ejusque patrem. Galliæ vero regiones, Arverniam, Provinciam, ceterasque, cum minus mirandum sit ad eas devenisse famam Lerinensem, parum curo. Ea quæ modo hic allata sunt, quam longe lateque auctoritatem extenderit Honorati institutio abunde ostendunt.

Hujus rei causas sciscitanti variæ occurrunt, et in primis notanda fundatoris monasterii singularis excellentia et propria virtus. Norunt omnes monasticam institutionem apud Orientales populos, præsertim Ægyptios, primum viguisse quarto seculo, nec est cur recolamus quot monachos ibi incliti quidam abbates sibi subjecerint. Rem vero attenta mente consideranti haud obscure perspectum est, impulsu quodam christianæ institutionis usitatas vitæ vias deseruisse, et solitudines petiisse homines, non eo tamen impetu ut deserta petens sibi tantum quisque pareret, sed potius ut exemplis alliciti auctoritatem eorum qui morum integritate et austeritate exemplum aliis et forma regulaque vitæ facti essent, sequerentur. Ea enim causa fuit

(1) Ennodius opera, lib. VII, epist. 14.

quæ, tum in Ægypto, tum in Asia, multos sub Antonii et Basilii imperio coegerat et congregaverat : quem imitarentur ducem inquirebant. Eadem causa fuit, quæ in insulam Lerinensem multos sub Honorati aliorumve regimine coegit et congregavit (1). Eo malo hac ætate laborare videntur Occidentales quo societas, ætate matura et senescente, exhaustis longo tempore otiosæ vitæ illecebris, contraria prosequi appetit et curat. Adde animos incerta futuri conditione inquietos, moxque æstuantibus undique barbaris gentibus, et ex omni parte ripas superantibus, ita ut jam in occidentales regiones redundarent, tantum commotas esse mentes ut in multis suspicio mox perituri mundi injiceretur (2). His plane intelligitur juvenes e familia consulari ortos, ut Honoratum Hilarium, Lupum, vel ex senatoria stirpe ut Eucherium, Gregorium Turonensem, abdicatis rei familiaris et dignitatum commodis secretam solitudinem petiisse primum, moxque proprio exemplo alios ad se tanto numero attraxisse, ut, qui primum vitam solitariam instituere sibi proposuerant, eo adducerentur, ut exer-

(1) Omnis congregatio... ad nomen ipsius ex diversa terrarum parte collecta... in illius amorem conspirabat, *Vita Sti Hon.* Patrol. lat., t. L, col. 1260.

(2) Sti Orientii *Commonitorium.* Edit. Ellis. Vindob. 1888, cant. II, vers 163 et seq.

citus cujusdam duces et numerosissimæ familiæ patres fierent : quod de Lerinensi fundatore verum habetur ; ferunt enim Lerinam multos venisse « pro « salute animarum » (1) : idque maxime pertinet ad monasticam institutionem.

Ast eodem loco statim subjungitur, « sive studiis litterarum ; » minime quidem nobis esse propositum ut de schola Lerinensi, magis in dies florenti, loqueremur, obliti sumus cum eadem causa quæ monachorum numerum, simul discipulorum augeret instituendorum. Cum « legere et scribere sit opus præcipuum monachorum, » ea ætate qua vix extra monasterii claustra exstabant scholæ, nullus non censet eadem causa tot discipulos, quot monachos, in insulam cogi. Nec minus licet dicere tot monachos, quot discipulos. Quidquid enim propria virtus et eximia morum sanctitas possunt, non in his tamen positam fuisse omnem Lerinensis auctoritatis causam libenter creditur, cum nullus dubitandi locus detur, famam quam in litteris insulani doctores scriptis suis adepti erant, vel maxime effecisse, ut ad eos undique concurreretur. Enimvero cogitemus, quantum decus Lerinensi scholæ accesserit,cum in publicum venirent opera a Vincentio

(1) *Chronol. Lerin.* t. II, p. 130.

(2) Holstenius. *Codex regul.*, edit. Brokie, Lipsiæ, t. I, regula S^ti^ Ferreoli, p. 162.

aut Salviano scripta, quantam auctoritatem eadem opera ipsi adderent, cum solita sit in scholam redundare gloria magistrorum. Nam æstimare decet non aliam fuisse ea ætate scholarum fortunam quam recentioribus temporibus, quibus hujusmodi institutiones præcipuam vim et auctoritatem ab iis qui præsunt accipere solent. Si compertum est Basilii magni auctoritatem eam fuisse, quæ illi tam multos conciliaret monachos, ut Asiæ toti præesse videretur, eam sane non omnino tribuere convenit hujus viri sanctitati, quæ tamen ad rem maximi fuit ponderis, sed etiam ingenii laudi et dicendi virtuti, quibus æqualium suffragia consecutus est.

Ad hæc memento insulanos eloquentia sua et missis litteris longe lateque auctoritatem suam dilatasse. Novimus enim, teste Hilario, ad Honoratum « latentem undique litterarum officia » perlata fuisse, « quibus ille quam novis affectibus variata « reddebat, quam gravia, quam blanda, quam dul- « cia » (1). Nec aliter de ipso Hilario dicendum, cujus « facundiam » in litteris scribendis memorat Eucherius. Ab eo epistolarum commercio, ut rem sanctam agerent abstinuisse Vincentium, Maximum et alios quorum epistolæ non exstant et ne exsti-

(1) Hilarium Arelat. loco cit.

tisse quidem videntur, omnino citra fidem : Salviani vero et Fausti quædam supersunt, quibus injicitur opinio, eos libenter litteris usos fuisse. Quantum potuerit illud commercium ad Lerinensem auctoritatem diffundendam, satis in aperto est. Quod si quidam, abdicata monastica vita, insulam deseruerunt, ut episcoporum partes agerent, suo loco sæpe discipulos Lerinam miserunt, ut de Salviano compertum est. His et eorum similibus ita extenditur Lerinensis auctoritas, ut sexto seculo monachos alloquens Cæsarius Arelatensis sic oret : « Ab Oriente usque ad Occidentem et omnibus pene « locis in quibus christiania religio colitur, religio- « sissima vestra conversatio ad Christi gloriam « prædicatur, jure a vobis exigitur, ut quod de « vobis creditur, hoc probetur » (1).

Sin ad ætatem qua exstructum fuit Lerinense monasterium attendis, justior tibi occurrit causa, cur statim a principio, eam, quæ per longum tempus perseveravit, fortunam assecutum fuerit. Hæc est enim ætas quæ toto suo decursu turbulentissima armorum sonitu et bellis agitata fuit. Quot et quanta funera in Galliam intulerit, ineunte seculo quinto Alanorum Vandalorumque irreptio, testes sunt Orientius, Paulinus Pellæus, Prosper Tyro, et

(1) *Homili XX ad monachos.*

auctor incertus carminis quod de *Providentia* inscribitur : Orosium (1) aliosque scriptores historicos ex consulto prætermisi. Neque a calamitatibus cessatum est, cum alii post alios irruentes Barbari Galliam armis sibi vindicarent, donec Euricus, Gothorum rex, immissis in meridionalem Galliæ partem turmis, eas calamitates produxit, quarum meminit Sidonius (2). Quid litterarum studio cogitari potest infestius ? Quid mirum, si ad Lerinensem insulam, ut in portum tempestatibus inaccessum, amicos vocabat Eucherius ? « Circumfer « oculos et de pelago negotiorum tuorum velut in « quemdam professionis nostræ portum prospice « proramque converte. Unus hic portus est, in « quem nos ab omni fluctuantis seculi jactatione « referemur; quem inter irruentes mundi turbines « fusi petamus. Huc cunctis confugiendum est, qui « frementis seculi tempestate vexantur » (3).

Abdicatis interdum dignitatis episcopalis curis, Lugdunoque abscedens, ut quietam vitam ageret et Deo litterisque liberius vacaret, ipse insulam petebat. « Domum pensilem nobis præparet « et membranas, quia si Deus annuit, quadra- « gesimam in insula cum ipso tenere disponi-

(1) *Histor.* lib. VIII, cap. 40.
(2) Lib. VII, epist. 12.
(3) *De laude eremi.* Patrol lat., t. L, col. 711.

mus » (1). Audius eumdem alio loco dicentem : « Præcipuo tamen Lerinam meam amore complec- « tor » (2). Quod si hujus amoris causam quæris, ea statim occurrit tranquilla securitas, qua fluctibus interclusa Lerina fruebatur, seseque ut « paradisum « eam possidentibus (3) exhibebat ». « Mira res « enim, ut sub tot barbararum gentium frequen « ter factis in Gallia grassationibus, a Suevis, a « Vandalis, Alamannis, Gothis, Burgondionibus, « Hunnis et Francis, nihil ad hæc tempora pas- « sum fuerit detrimenti idem monasterium insulæ « Lerinensis, factum ipsis etiam Barbaris atque « Arianis venerandum » (4). Huic causæ incongruum non videbitur animadvertere primos monasterii auctores, veluti incursionibus Barbarorum pulsos, a septentrionalibus in meridionales Galliæ partes devenisse. Forsan et ea tempestate multis contigit ea quæ postea poeta fudit, sentire :

> Me deserta juvant, secretaque littora, quare
> Deliciis satis est insula parva meis (5).

(1) Eucherii opera. Epist. ad Philon. Patrol. lat., t. L, col. 1213.

(2) *De laude eremi.* Ibid., col 711.

(3) Ibid.

(4) Baronius. *Annal. lib.* ad annum DXXIV.

(5) *Chronol. Lerin,* t. II, p. 383. Hic afferre juvat carmen totum, in quo Dyonisius Faucher, Lerinensis mona-

Ne tamen credas eam tantum fuisse Lerinensis scholæ auctoritatem, ut adductis ex omni regione monachis, insula in dies frequentior fieret, sed etiam ut quos aliquando in sinum suum receperat, in omnes occidentis partes emitteret. In memoriam revocanda sunt ea quæ, ineunte seculo sexto, Por-

chus, seculo decimo sexto, sensus quibus ætate de qua agitur, ad insulam impellebantur, modo poetico expressisse videtur.

Carmina nostra, precor, placido pater accipe vultu,
Carmina quæ tenuis nostra camœna tulit.
Hæc enim densis placuit cecinisse sub umbris,
Dum Lerina dabat otia tuta mihi.
Dictabant teneros captata silentia versus,
Visaque cantanti est silva referre vicem.
Dum tremulos agili pulsarum pectine nervos
Carmina carminibus laurus amica dabat.
Ardua de summo resonabat vertice pinus,
Et myrtus zephyro sollicitata levi.
Pensilibus residens ramis Philomela canoro
Consuerat leves ore referre modos.
Turtur casta suos gemebunda canebat amores,
Suaveque reddebant culmina celsa melos.
Nempe ibi solivagus modulando passer amœnum
Mulcebat placidis æthera carminibus.
Quin etiam rauco strepitabat murmure pontus,
Curva dabant dulces littora pulsa sonos.
Hic inter densas salices ranasque loquaces,
Neglectum sini conticuisse chelin ;
Et veluti hebræis quondam Babylonis ad amnes
In luctum versa est cantio læta Sion.
Sic mutata mihi in planctum solatia cantus
Claudunt, nec Cytharæ fila canora juvant.
Sed repetens avida Lerinam mente molestum
Exsilium tristis lugeo sæpe meum.
Et mea dum longo differtis gaudia voto,
Anxius excruciat pectora mœsta dolor.
Nec mihi vestra placent augusta palatia, reges
Illa habeant; decet hos marmore fulta domus.
Me deserta juvant, secretaque littora, quare
Deliciis satis est insula parva meis.

carius, tum Lerinensi scholæ præfectus, aiebat : « Insula quidem viti simillima per universum « orbem suos effudit propagines : tabernacula ejus « et coloniæ multiplicate sunt, ita ut nullum sit « monasterium qui ea tanto numero produxerit » (1). Etsi, testimoniis non exstantibus, non licet, quod si liceret, forcan non liberet, omnia recensere monasteria quæ a Lerinensi ortum duxerunt, hujus tamen auctoritatem ad ea solum extendi credere præter verum esset, cum vel ad ejus exemplar plurima intra Galliæ fines condita sint, vel ejus instituta servaverint, quod de celeberrimo Agaunensi monasterio refertur, vel abbatem ex Lerinensibus acceperint et observaverint : « Omnes « enim provinciæ Galliarum, clerici episcopum, « monachi sibi poscebant abbatem in monasterio « Lerinensi » (2).

Non enim mediocrem auctoritatem episcoporum ingenti numero quos e sinu suo in omnes Galliæ provincias emisit, adepta est Lerinensis insula, quæ interdum « officina sanctorum et sanctissimo- « rum episcoporum » (3) vocata est. Quorum nomina etsi ex oblivione qua obvolvuntur vix educi

(1) *Chronol. Lerin*, t. I, p. 221.
(2) *Chronol. Lerin*, t. II, p. 131.
(3) Baron. *Annal.* lib. ad annum 524.

possunt, quædam tamen, pauca quidem, sed maximi ponderis superantia afferre libet : Honoratum Hilariumque Arelatenses, Eucherium Lugdunensem, Maximum Faustumque Reienses, Lupum Trecensem, Vincentium Sanctonensem, Salonium Genovensem, Veranum, fratrem ejus, Venciensem, Valerianum Cemeliensem (1), quos, ut ceteros omittam, seculo quinto ascribere est. Sexto autem floruerunt ex Lerinensibus alumnis Cæsarius Virgiliusque (2) Arelatenses, Rusticus Narbonensis (3), Antiolus Siffredusque Forojulienses. Post eos, seculo septimo, Maximus, Magnus et Agricola Avenione (4), Arnulfus, in schola palatina tempore Clotarii, regis, primum magister (5), postea Metis, episcoporum partes multa cum laude egerunt. Nihil est quod de ceteris proferam.

Quod si menti occurrit unumquodque monasterium vel episcopum pro suis viribus et loco suo effecisse ut Lerinensis scholæ instituta pervulga-

(1) *Chronol. Lerin*, t. II, p. 149. — Alliez : *Hist. du monastère de Lérins*, t. I, ch. I et II.

(2) Greg. Tur. *Hist. Franc.* lib. IX, c. 23.

(3) Baluze. Salviani opera. Not. p. 408. — Migne : *Diction. d'épigraphie*, art. Narbonne. — *Acta SS.*, t. XI, Oct. p. 860.

(4) *Chronol. Lerin*, t. II, p. 149. Alliez, *Hist. du monast. de Ler.*, t. I, p. 346.

(5) *Annales Metenses*. D. Bouquet. *Script. rerum Franc.*, t. II, p. 677.

rentur in his quas monasticas episcopalesque scholas dicunt, quam late diffusa serpserit ejus auctoritas intelligetur. Tum alumnis quos ad episcopalem dignitatem evectos novimus, tum huc et illuc grassantibus monasticis propaginibus Provincialium, Narbonnensium, Viennensium (1), Lugdunensium, Avernorum, Burgondionum regiones, imo vero totam Galliam ad Rhenum, ut ipsam trans mare Britanniam, de qua mox agetur, omittam, divinarum humanarumque litterarum cultu schola Lerinensis imbuerat. Ejusdem rei fidem faciunt concilia in nulla alia regione hac ætate clariora : « porro ut tot insignes doctrina est sanc-« titate viri in eisdem provinciis invenirentur, id « præstitisse videtur celeberrimum Lerinensis in-« sulæ proxime adjacentis terræ cœnobium » (2). Cui opinioni doctissimi in rebus historicis viri, eo magis assentiendum, quo minus effingi potest e quo alio monastico fonte inde a seculo quinto per totam merovingiacam ætatem litterarum studium cultusque largiore fluctu dimanaverit.

Quantacumque fuerit hæc auctoritas huc usque descripta, cum de ejusdem causis supra actum est, vix et quasi obiter attigi eam quam in rebus theo-

(1) Mabillon. « Sexaginta monasteria exstructa fuerant in provincia Narbonnensi » Vita sancti Clari, *Annal. Bened.* sac. II.

(2) Baronius. *Annal.* lib. ad annum 524.

logicis scriptis suis Lerinenses extra muros assecuti sunt. Eam enim fuisse dicunt Lerinensium auctoritatam quæ in vulgandis christianæ religionis doctrinis multo magis versata sit, quam in monasteriis exstruendis vel in informandis episcopis. Quam, ineunte seculo quinto, data occasione celeberrimæ inter doctores christianos contentionis qua in duas partes ecclesia occidentalis trahebatur, exorientem demonstrant. Norunt omnes quantum allaboraverint, quicumque id prosecuti sint, ut liberum hominis arbitrium et eam quam *gratiam* vocant inter se conciliarent. Omnibus difficile opus tentantibus periculum erat ne a via media, tenui quidem obscureque signata, recedentes vel ad dexteram, vel ad sinistram pessime vagarentur, sive libertati humanæ nimium tribuendo, sive eidem nimium detrahendo. Id enim periculum male vitavit Pelagius qui, cum ad libertatem hominis felicius servandam tuendamque, Adami casum originalemque ruinam negaret, humanamque naturam ita sanam integramque prædicaret, quæ vi propria actum, quem supernaturalem vocant, edere posset, Augustinum sibi contrarium offendit. Nec est quod de Pelagii errore plura hic misceamus.

Attamen dum veram doctrinam multa librorum epistolarumque suppellectili a Pelagii ejusque asse-

clarum impugnationibus vindicabat, non omnino abstinuit Augustinus, quin a via media interdum recedere et ad oppositam ita declinare videretur, ut qui gratiæ jura propugnabat, aliquando humanæ libertatis ingenitam virtutem aut præterire aut saltem imminuere habitus sit. Ex ejus igitur minus recte dictis, — quæ tamen in se inspecta hujus sancti viri eximiique doctoris memoriæ levia sunt, — novus error effluit, qui viam *Pelagianismo* oppositam tenens ita libertatis humanæ partes aversatur, ut ea de medio omnino sublata, omne salutare opus soli gratiæ auxilio attribuat. Quo fit ut ii solum salutem consequantur quibus idoneam gratiam prædestinavit Deus : quamobrem hi quidem ad æternam vitam prædestinati dicuntur; eaque doctrina *Prædestinationismus* nomine vocatur. Cujus erroris semina quasi reperta in opusculo Augustini quod de *Correptione et gratia* inscribitur, vel in eo quod de *Prædestinatione Sanctorum* agit, quodam modo vegetiora sese exhibent in poemate quod Prosper Aquitanus, Augustini vestigiis inhærens, *de Ingratis* scripsit (1).

(1) Omne etenim probitatis opus nisi semine veræ
Exoritur fidei, peccatum est inque reatum
Vertitur cap. 16
Nam si nemo usquam est quem non velit esse redemptum,
Haud dubie impletur quiquid vult summa potestas, c. 13.

Porro is erat Augustinus, quem multa vi errores insectantem, multoque ingenio, omnes quibus in Ecclesia curæ erat christiana doctrina, attenta mente spectarent audirentque; quo minus fieri potuit ut inaudita evaderent quæ tantisper a vero declinare videbantur. Inter eos qui de gratia et humanæ libertatis usu aliter ac Augustinus sentire ausi sunt, eminet in primis Cassianus, Massiliensis presbyter. Hic olim cum sancto Joanni Chrysostomo esset addictus, apud Orientales primam vitæ suæ partem egerat, tempore quo præstantissimus orator Constantinopolitanus, ad fatum Manichæorum propulsandum, ita libertatem in majus accipere conabatur, ut et ipse ultra veri fines aliquantum progredi, et gratiæ muneri aliquid detrahere visus sit (1). Hujus igitur vestigia sequendo Cassianus in opere quod *Collationes* inscribitur, et præsertim in tertia decima collatione, doctrinam quæ erroris nota signata fuit haud ambigue professus est. Is enim, etsi hominem ab Adami ruina vulneratum, humanamque naturam sauciatam esse fatetur, attamen docet eam esse humanæ libertatis

(1) « Nostrum quidem est præligere et velle, Dei autem « perficere, et postquam elegerimus tum affert quæ sua sunt « Deus. » Homil. XII in epist. ad Hebræos, nº 3. « Voluntas « nostra proprium ex se habet ut velit, Deus incipienti incre- « mentum dabit. » In psal. CXVIII.

vim quæ, propria virtute, aliquod opus supernaturali dignitate pretioque exercere vel saltem incipere possit. Hunc errorem qui *Pelagianismi* viam ineundo multo minus tamen procedit, *Semi-Pelagianismum* ævo postero dixerunt.

Satis compertum est Lerinenses in eam accusationem incurrisse qua Semi-Pelagianismi nota afficerentur (1). Cum enim ad Honoratum Eucheriumque direxerit Cassianus eas Collationes, quæ aberrantem a vero doctrinam continent, huic non ambigue assentire eos existimant. Nec desunt qui Vincentium Lerinensem in Augustinianas sententias, oblique quidem, in *Commonitorio* suo plura explicavisse putent (2). Quinimo et idem de Hilario Arelatensi et de Salviano affirmare liceret. Cum vero de Fausto agitur, cuique legenti ejus librum de *Gratia et libero arbitrio* res plane perspicua est.

Equidem Cassiani partibus favisse Lerinenses ejusque doctrinam tenuisse fatendum est. Quod si

(1) Guizot : *Hist. de la civilis. en France*, t. I, p. 165. — Ampère : *Hist. litter. de France*, t. II, p. 29 et seq. — Noris : *Hist. Pelag.*, l. II, c. I, p. 107. « Ego autem palam faciam « hunc Vincentium cum Hilario Arelatensi, Fausto aliisque « syncellitis Lerinensibus contra sancti Augustini de Prædes- « tinatione Sanctorum conspirasse, » cap. 11.

(2) Cf Noris, Ampère, Guizot supra memoratos... *Histoire littér. de France*, t. II, p. 10. — Fauriel : *Hist. de la Gaule mérid.*, t. I, p. 404.

res aliter se haberet, neque Honorato Eucherioque sensum suum tam libenter aperuisset Cassianus, neque ab errore diluendo abstinuisset Hilarius Arelatensis, qui natura ingenioque ad id pronus erat, ut quæque Ecclesiam turbatura videbantur acriter impugnaret. Attamen ex epistola ad eum a Celestino, summo Pontifice, directa scitum est tunc temporis omnes Galliæ episcopos ab Augustinianis partibus recessisse (1). Quo fit ut queratur Prosper Aquitanius se solum inter Gallos, in re tanti momenti, errori late serpenti contrariam vim opponere (2). Eo minus a ceteris episcopis hac in re seponendus est Hilarius, quod eum in epistola sua ad Augustinum aliquo modo saltem ab Augustiniana sententia recedentem Prosper ostendit (3). Notatu etiam dignum Vincentium Lerinensem cum illud errori proprium assignat recentem esse, et doctrinam novam inducere, recentioresque Priscilliani, Nestorii, Pelagiique sententias pessima nota afficit, alto silentio causam quæ inter Cassianum et Augustini discipulos erat, pertransire. Quod

(1) Patrol. lat., t. L, col. 529 « Timeo ne connivere sit hoc « tacere... in talibus causis non caret suspicione taciturnitas, « quia occurreret veritas, si falsitas displiceret. »

(2) *Epist. ad. Aug.*, c. 1. Patrol. lat., t. LI, col. 72.

(3) *Epist. ad August.*, c. 9.

silentium saltem dubiæ mentis, forsan Cassiano assentientis signum videtur.

Quidquid tamen hac in re senserint Lerinenses, non desunt argumenta quibus innitentes eos Cassiani partibus parce favisse, neque in aciem theologicam de hac re marte feroci devenisse, asseramus. In eam sententiam adducimur primum ab ipso Prospero, qui Massilienses presbyteros *Semi-Pelagianismi* partes amplexos in epistola ad Augustinum reputat; Lerinenses vero neque obstantes, neque faventes doctrinæ recenti denuntiandos existimat (1). Cui Prosperi silentio apte congruit ea mens qua Vincentius, cum suum *Commonitorium* scriberet, data occasione, tamen sensum suum haud ambigue declarare ita abnuit, ut neutrius partes aperte sit amplexus.

Lerinenses tamen ad pugnam erecto fronte sese accinxerunt, cum Faustus opus suum *de Gratia et de libero arbitrio* composuit : jamvero neque cum Augustino neque cum Prospero tunc res erat, sed cum quibusdam ex eorum discipulis errorem quem *Prædestinianismum* vocant approbantibus. Cum jure meritoque oppositam doctrinam tueretur Faustus, a vero interdum declinavisse deprehenditur, ita ut et ipse, forsan vi traditionis apud Lerinenses receptæ, inter *Semi-Pelagianismi* fautores

(1) *Epist. ad August.*, c. 2.

jure sit habitus. Quod neque Fausto neque aliis Lerinensibus crimini esse debet, cum hac ætate ea erat doctrina Semi-Pelagiana quæ libere doceri posset. Præterea scholæ Lerinensi servabatur, ut omne dubium de medio tollens contentiones concluderet : quibus finem fecit concilium Arausicanum secundum ex auctoritate Cæsarii Arelatensis, alumni Lerinensis præcipui.

Huc usque de auctoritate Lerinensi actum est : quam primum pro certo facere ex allatis testimoniis conati sumus : hujus vero causas postquam recensuimus, per quos et quo modo extra insulam hanc exercuerint Lerinenses quæsitum est. Ea vero auctoritas, qua longo tempore in docendo et scribendo insula Lerina apud Occidentales merito innotuit, non ultra septimi seculi fines, si modo eos attigit, progreditur. Ea fuit enim seculi septimi fortuna quæ tumultu suo insulam exerceret Lerinensesque in contrarias partes ageret (1) : quo res insulanæ paulatim inclinatæ dilabi cœperunt, donec, ineunte seculo octavo, monasterio momento temporis in pristinum honorem et antiquum decus restituto, irruentibus Saracenis, præcipitatæ corruerent (2). Tunc de Lerinensi auctoritate actum est.

(1) *Chronol. Lerin*, t. I, p. 328 et seq. — Alliez : *Hist. du monast. de Lérins*, t. I, p. 365.

(2) Ibid., p. 224. — Ibid. p. 402.

CAPUT QUINTUM

DE SANCTO CÆSARIO, PRÆCIPUO LERINENSIS SCHOLÆ ALUMNO, EJUSQUE AUCTORITATE

Scholæ Lerinensi minus æquo tribueretur, cum de ejus auctoritate res est, nisi, perspecta ea quam per seipsam exercuit, statim deveniretur ad eam, qua veluti oblique usa est, per illustres quosdam viros, quos primum, ut obiter antea diximus, ipsa informaverat. Cum vero præter vires humanas sit positum uniuscujusque Lerinensis alumni mores et gesta referre, de illo tantum qui præcipuum locum obtinere videtur, fusius dicere, de Cæsario scilicet, Arelatensi episcopo, proposito congruum erit et satis fiet.

Cæsarius, quem territorio Cabilonensi, circa annum CCCCLXXX, parentibus qui « supra omnes « concives fide potius et moribus floruerunt » (1),

(1) Hæc et alia, quæ de Cæsarii vita hic traduntur, excerpta sunt e narratione quam Cyprianus, Firminus et Viventius, episcopi, conscripserunt. Quam legere est in Acta SS., t. VI, Aug. p. 65 et seq. apud Mabillonium *Annales Benedict.*, t. I, p. 89. *Acta SS. ord. Sti Bened.*, t. I, p. 654. Migne, Patrol. lat., t. LXVII, col. 1002 et seq.

ferunt natum, cum decimum octavum ætatis suæ annum ageret, Lerinense monasterium tiro sanctus expetiit. Tanto studio monasticæ vitæ instituta iniisse, tanta alacritate in suscipiendis laboribus fuisse dicitur, ut biennium post elapsum, fractis viribus, jamque elanguescente corpore, Porcarius, qui tum cœnobio præerat, Cæsarium valetudinis restituendæ causa, in civitatem Arelatensem mitteret. Porro eo tempore inter reipublicæ scholarumque Gallicarum ruinas, celeberrimus rhetor africacanus, Pomerius nomine, Arelate docebat, cui Cæsarius, ut studia apud Lerinenses cœpta compleret, se docendum tradidit. Jam in insulam regressurus iter parabat, cum ab episcopo Arelatensi sacerdotio primum initiatus, monasterio cuidam « in suburbana civitatis insula » (1) præficitur, annoque DI in eadem civitate episcopus eligitur.

Non nostrum est minutatim referre quas vices Cæsarius Arelatensis, qui primum apud Alaricum, a quo Burdigalam in exsilium missus fuerat, deinde apud Theodoricum falso crimine accusatus est, fortiter obierit. Nec magis placet narrare qua alacritate labori assiduus, pluribus præfuerit conciliis, munusque suum per quadraginta annos omnino adimpleverit. Rem nostram ad litteras pertinere

(1) *Chronologia Lerin.*, t. I, p. 246.

non sumus obliti. Quæ vero sint Cæsarii Arelatensis opera inter eruditos adhuc parum constat : « Scrip-« sit egregia et grata valde monachis necessaria « opuscula : de gratia quoque et de libero arbitrio « edidit testimonio divinarum scripturarum et « sanctorum Patrum judicio munita » (1). Ex ejus operibus vix exstare videntur homiliæ numero satis incerto, quæ inter Augustini opera maxima ex parte editæ fuerunt (2). Attamen non minimam meruerat Cæsarius scriptis suis laudem, Ennodii testimonio si credere fas est : « Tu ceteros velut « solis magnitudo astris minoribus comparata trans-« grederis... quis non optet, te loquente, ut sciat « plura non legere, tu dum libris genium relatione « concilias et magistros informas, tibi debet qui-« cumque ille scriptorum maximus, quod eum dote « elocutionis amplificas, in te lux convenit sermonis « et operis » (3). Sed hactenus de Cæsarii scriptis, cum multo magis ad rem nostram intersit quæ fecerit quam quæ scripserit, inquirere.

Exstant Cæsarii Arelatensis duæ regulæ, quarum una ad monachos, altera vero ad puellas in parthe-

(1) Gennadius : *De illust. Ecclesiæ script.* Patrol. lat., t. LVIII, cap. 86, col. 1110.

(2) Monachus quidam in monasterio ordinis sancti Benedicti, Maredsous nomine, apud Belgas, editionem integram operum sancti Cæsari, curavit, quam dicitur mox typis mandaturus.

(3) Lib. IX, epist. 33, p. 257-258.

none degentes dirigitur. Notandum enim inter præcipua ejus instituta puellarum cœnobium, circa annum DX instauratum, quod Cæsariæ, sorori suæ, ut ipsa ibi præesset, commisit, et cujus fama jam Cæsariæ tempore ea fuit, ut ibi « convenirent « virginum multitudines catervatim » (1). Nec tantum ad parthenonem Arelatensem undique concurrebatur, sed ad ejus exemplar plurima puellarum cœnobia instruebantur, ita ut Cæsarii instituta sibi assumerent observanda. Id enim traditum est de monasterio Sanctæ Crucis, quod in agro Pictaviensi exstruxerat Radegundis, e stirpe regia et ipsa quidem regina quondam, scilicet Clotarii, regis Francorum, uxor : sic enim ipsa scribebat : « Con- « gregationem per me, Christo præstante, collectæ, « regulam, sub qua sancta Cæsaria deguit, quam « sollicitudo beati Cæsarii, antistitis Arelatensis, ex « institutione sanctorum patrum convenienter colle- « git, adscivi » (2). Cujus rei pluribus in locis meminit Venantius Fortunatus :

Concipiente fidem Christi Radegundis amore
Cæsarii lambit regula quidquid habet (3).

Cujus sunt epulæ, quidquid pia regula pangit,
Regula Cæsarii linea nota tibi est (4).

(1) *Vita Sti Cæsarii*, lib. I, cap 25. Patrol. lat., t. LXVII, col. 1012.
(2) Gregor. Turon, lib. IX, cap. 42.
(3) Venantii Fortunati Opera. Miscell. lib. V, car. II.
(4) Ibid., lib. VIII, car. 1.

Cum vero Radegundem et Agnetem, Pictaviensi monasterio præfectam, alloquitur, ejusdem Cæsarii regulæ meminit poeta :

Sic vos Cæsarii monitis honor ornet in orbe,
Atque ambas caro cum patre Christus amet (1).

Porro quod ex his testimoniis derivatur exemplum, non ea tantum vi potitur ut recte intelligatur monasterium Pictaviense, Radegunde auspice, a Cæsario Arelatensi regulam institutaque sua accepisse, sed etiam firmissimo exemplo evincit parthenonis Arelatensis auctoritatem tam late diffusam fuisse, ut non tantum ad Pictavienses sed ad multas saltem Galliæ regiones extenderetur. Cujus rei indicium erit etiam certissimum propria auctoritas qua ipse Cæsarius per multos annos ita fuit præditus ut Occidentales ecclesias suo nomine regere videretur.

Quæ cum ita sint et regulæ sancti Cæsarii auctoritas citra dubium posita sit, ut plura omittamus, quæ ad rem nostram minus pertinere videntur, ea tantum quæ ad litterarum cultum pertinent referre satis esse censeo. Porro a Cæsario præscribitur virginibus ut « omnes litteras discant, omni tem-« pore, duabus horis, hoc est a mane usque ad

(1) Venantii Fortunati Opera. Miscel., appendix I ad Radeg. et Agn.

« horam secundam, lectioni vacent » (1); id est, rem more nostro computando, a sexta ad octavam horam. Illud vero spatium quod litteris ex professo tradendis tribuebatur, non ita studio lectionique suppetebat, ut reliqua die ab iis omnino ex Cæsarii institutis abstineretur, cum multo verius habeatur, lectionem fere continuam fuisse : « Sedentes ad « mensam taceant, et animum lectioni intendant... « Reliquis vero in unum operantibus, una de soro- « ribus usque at tertiam legat » (2). Eadem ferme iisdem verbis in ea regula quam « dum esset sacer- « dos ipse per diversa monasteria » (3) transmis- serat, monachis injunxerat Cæsarius : « Omni tem- « pore usque ad tertiam legant... ad mensam dum « manducant nullus loquatur, sed unus legat « quemcumque librum » (4). Nec alia de causa a monasterio infantulas excludit quæ septimum sex- tumve annum non attigerunt, nisi quia « litteras « discere et obedientiæ obtemperare » non possunt. Eo igitur tempore institutionis monasticæ vim præcipuam lectio obtinebat : quæ quidem in uno- quoque tam virorum quam mulierum monasterio scholæ ad docendum causam dedit.

(1) Sancti Cæsarii opera. Patrol. lat., t. LXVII, col. 1109.
(2) Ibid. Ibid. col. 1107-1108.
(3) Ibid. Ibid. col. 1090.
(4) Ibid. Ibid. col. 1090-1091.

Equidem Cæsario tribuere eam diurnæ lectionis institutionem in monasteriis iniquum esset, cum jam teste J. Chrysostomo apud orientales monachos ea jamdiu vigeret : « Postquam preces matutinas « et hymnos compleverunt, ad lectionem Scriptura- « rum se conferunt ; sunt etiam qui libros scribere « didicerunt » (1). Qui mos apud Lerinenses, quos orientalem ritum imitatos esse satis constat, certe vigebat, hujusque Cæsarius qui « nunquam Leri- « nensium fratrum instituta reliquit » (2), cum esset Arelate, meminit. Id vero hac de re effecit Cæsarius, ut maxima auctoritate sua quod jam erat in usu confirmaret, lectionemque et eruditionem, tum regulis ad monasteria directis, tum epistolis ad quasdam virgines scriptis, tum homiliis ad monachos habitis, magis magisque comprobaret. Hic habes, quo facilius intelligas quamobrem Ferreolus, qui Cæsarii erat discipulus, in ea regula quam monachis præscripsit, dicat : « Agriculturam « exercere, non valet (monachus) ; legere, scribere, « quod est opus præcipuum » (3).

Quantacumque vero est auctoritas qua Cæsarius ad monachorum studia vel confirmanda, vel com-

(1) Sancti Joannis Chrysostomi opera. Patrol. græca, t. X, col. 576.

(2) *Vita Sancti Cæsarii*, lib. I, cap. I, n° 11, col. 1005.

(3) Holstenius : *Codex Regularum*, t. I, p. 81.

probanda præditus est, multo magis ad rem nostram interest, quæ susceperit effeceritque ad religiosas virgines in litteris informandas inquirere. Regulam, qua jussæ sunt in lectionem unaquaque die incumbere, antea jam retuli : quod jussum pluribus in locis redintegravit Cæsarius, cum virgini cuidam scribens, ei mandat « ut studiis et « divinarum Scripturarum eruditionibus intenta... « lectionem aut ipsa frequentius legat, aut legentis « verba tota pectoris aviditate suscipiat » (1). Quam lectionem ita assiduam præscribit, ut ne manuum quidem opera eam intermitterent : « Sic lectioni et « meditationi debetis incumbere, ut ante omnia « etiam manibus possitis aliquid exercere » (2).

Quid valuerit efficere in parthenone Arelatensi aut Pictaviensi, vel in ceteris ad quos accesserat Cæsarii auctoritas, rara sed haud mediocriter illustria testimonia declarant. Cæsaria enim, Cæsarii soror, monasterioque Arelatensi præfecta, in epistola sententiis e Scriptura Sacra depromptis intertexta, quæ exstat ad Richildem et Radegundem scripta, id a virginibus exigere videtur, ut discendis litteris studiose se aptent : « Et nulla sit de intran- « tibus, quæ non litteras discat, omnes psalterium

(1) Epist. II, Patrol. lat, t. LXVII, col. 1130-1135.
(2) *Sermo ad Sanctimonales*, col. 1132.

« memoriter teneant » (1). Quo fit ut Rusticula, quæ post Cæsariam parthenoni eidem, præerat « intra « pauca temporum spatia Psalmos omnes didicisset, « et omnes Scripturas divinas memoriter retine- « ret » (2). Eodem tempore Avitus, Viennensis episcopus, in eo libro quem de *Laude Castitatis* Fusciniæ sorori suæ dedicaverat, Sacros Libros omnesque poetas christianos eam legisse memorat. Idem fere de Radegunde narratur, quæ « cum a medita- « tione Psalmorum aut prædicatione cessare vide- « retur, lectrix ante eam una monacharum legere « non desistebat... Cum ante eam vicibus cessaret « lectio, numquam discessit, non die, non nocte, « non dum vel paululum corpus suum refecit... Ubi « a lectione cessasset... aiebat : quare taces ? lege, « ne cesses » (3). Minime igitur mirandum est si, teste Fortunato, lectionis avida Radegundis tot libros, sive ex latinis sive ex græcis patribus, poetas quosdam Christianos, in quibus Sedulium, scriptoresque historicos, inter quos Orosium perlegerit (4). Sed ut opinio menti facile occurrit, non tantum sibi, sed omnibus in parthenone degentibus

(1) Martène : *Anecd.*, t. I. p. 3-6. Epist. sanctæ Cæsariæ ad Richildem et Radegundem.

(2) *Acta SS.*, t. II, Aug. p. 659.

(3) *Vita sanctæ Radegundis* a Baudonivia scripta. apud Mabillon. *Act. SS, ord. Sti Ben.*, t. I, p. 314.

(4) V. Fortunat : *Miscell.* Patrol. lat., t. LXXXVIII, col. 263.

virginibus Radegundis, Cæsariam imitata, librorum legendorum curam injunxerat : « Instituit enim, « ut dum reficerent, semper lectio legeretur, ut non « solum fauces accipiant cibum, sed ut aures au- « diant Dei verbum » (1).

Æquum igitur est, ut exploratum habeamus; regulam Cæsarii, hujus auctoritate fultam, ita decursu seculi sexti profecisse, ut in omnibus parthenonibus, tum in Gallia, tum extra Galliam vim instituti legendorum librorum studium obtineret. Fertur enim Liebam, quam Bonifacius monasterio cuidam in Germania præfecerat, septimo seculo, « lectionis studio, tanta diligentia incumbere « ut nisi orationi vacaret, nunquam divina pagina « de manibus ejus abscederet » (2).

Nec tantum ex Cæsarii instituto lectioni, sed etiam scriptioni vacabant in cœnobiis virgines. Legitur enim in *Vita Cæsarii* a fidissimis auctoribus conscripta : « opus cum sodalibus tam præcipuum « viguisse, ut inter psalmos atque jejunia, vigilias « quoque et lectiones, libros divinos pulchre scrip- « titarent Virgines Christi » (3). Quam rem multis documentis confirmatam sic Mabillonius testatur :

(1) *Vita sanctæ Radegundis*, apud Mabillon. *Acta SS. ord. S^ti Bened.*, t. I, p. 311.

(2) Mabillon. *Præfationes*, p. 102.

(3) *Acta SS.*, t. I, Januarii, p. 729.

« Librorum etiam scriptio nonnullis pro labore « erat » (1). Quantum in eo de iis omnibus qui litteris student meritæ sint sacræ virgines inquirere, longum esset.

Per Cæsarium igitur Lerinensem scholam multum potuisse ad virginum institutiones amplificandas, et in eis litterarum studium disseminandum, ratum habemus. Porro non mediocris momenti est perquirere quibus litteris in parthenonibus animum applicarent. Jam novimus Radegundem christianis poetis et historicis scriptoribus operam dedisse : de Lieba idem fere traditur : « dicta « sanctorum patrum et decreta canonum totiusque « ecclesiastici ordinis jura plenitudini perfectionis « adjecit » (2). Forsan quædam profanorum scriptorum Libros aut legebant, aut scribebant : attamen ex Cæsarii monitis hortatuque ad id impellebantur, ut omissis profanis scriptoribus, « lectioni et medi- « tationi divinarum Scripturarum » mentem intenderent.

Res enim occurrit, non ex eis quæ minus sollicitant hominem ævi præteriti valde curiosum. Cæsarii tempore a summo fastigio jamdudum delapsa antiquorum auctoritas in dies magis imminuitur, doctoresque christiani inter criminanda eam rejicere

(1) *Annales ord. sancti Benedicti*, t. I, lib. I, p. 19.
(2) Mabillon. *Præfat.* in sæculum III, p. 102.

alius post alium conantur. Norunt omnes quonam modo a somno excitatus Ciceronem respuere coactus sit prodigiose Hieronymus, cujus sententiæ aptatur Augustinus cum de profanis scriptoribus hæc dicit : « Forsan abripuissent me a solidamento « pietatis. » En grave crimen quod in antiquos, sive latinos, sive græcos scriptores effingitur, quoque facilius intelligitur qua de causa a libris vel a rebus profanis, christiani lectores scriptoresve abstineant. Audi Paulinum, Ausonii discipulum, ad magistrum scribentem :

Vacare vanis otio aut strepitu,
Et fabulari litteris
Vetat, suis ut pareamus legibus,
Lucemque cernamus suam (1).

Post divum Paulinum in medium proferre fas est Sidonii exemplum, quem, « postquam in silen- « tio decurrit tres olympiadas, tam pudet novum « poema conficere quam piget » (2) ; alioque in loco sibi gratulatur, quod « multum de poetica arte « perdidit » (3) ; tandemque studiorum suorum immemor, ad id devenit, ut poesi valedicat :

Clerici ne quid maculet rigorem
Fama poeta (4).

(1) Sancti Paulini opera. Patrol. lat. t. LXI, epist. 4.
(2) Lib. IX, epist. 12.
(3) Lib. IX, epist. 13.
(4) Carm. IX, v. 16.

Haud aliter sentire videtur Ennodius, qui primum antiquis litteris rite deditus, suadente forsan episcopali dignitate, ab eis se retrahit : « Cessent ani- « lium commenta poetarum, fabulosa repudietur « antiquitas » (1). Quid clarius, nisi forte ejusdem Ennodii ea sententia : « Ista quæ sunt secularium « schemata respuantur, caducis intenta persuasio- « nibus, telæ similia Penelopeæ » (2). Si talia audimus ex iis qui scriptis vel etiam carminibus, quanto favore prosecuti essent profanos scriptores, testantur, nihil sane mirandum erit, si eosdem severis vocibus insectentur qui doctrinam disciplinamque christianam vulgandam ex professo susceperant. Audi Cassianum jam a seculo quinto fletus miscentem, eo quod in libris veterum poetarum legendis multum temporis olim insumpserit : « Mens mea poeticis velut infecta carminibus, illas « fabularum nugas... quibus a parvulo primis « studiorum imbuta est rudimentis... ita mentem « meam ad supernos intuitus aspirare non patitur, « ut quotidianis fletibus possit expelli » (3). Notissima est ea epistola qua, ineunte sexto seculo, Gregorius Magnus Desiderium, Viennensem epis-

(1) Lib. I, epist. 9, p. 19.
(2) Lib. II, epist. 6, p. 46.
(3) *Colloquia*. Lib. XIV, cap. 12. Patrol. lat., t. XLIX, col. 974.

copum, favoris in antiquos scriptores arguit, « quia « in uno se ore cum Jovis laudibus Christi laudes « non capiunt... quam grave nefandumque sit epis- « copis canere quod nec laïco religioso conveniat, « ipse considera » (1). Quam multum abest, vix elapso seculo, ea ætas qua ita scriptoribus antiquis favebant Christiani, ut hos gravissimo vulnere sauciaturum se, si profanis libris edocendis eis interdiceret, persuasum habuerit Julianus imperator.

Non aliter sentiebat Cæsarius. Narrant enim eum, qui primum, Pomerio duce et magistro, antiquorum studiosus erat, divinitus, haud alia ratione quam Hieronymum per somnum ab eis deterritum fuisse. « Librum quem ei legendum doctor tradi- « derat, casu vigilia lassatus, in lectulo sub scapula « sua posuit : supra quem, cum nihilominus « obdormisset, mox divinitus terribili visione per- « cellitur ; et in soporem aliquantulum resolutus, « videt quasi scapulam in qua jacebat, brachium- « que quo innixus fuerat codici, dracone colligante « corrodi » (2). Quod somnium ei fuit idem ac Hieronymo Ciceronis libros aut Alcuino (3) Virgilii

(1) Sancti Gregorii Magni opera. Patrol. lat., t. LXXVII, col. 1171.

(2) *De Vita sancti Cæsarii.* Patrol. lat., t. LXVII, col. 1005.

(3) *Epist. ad Germanos.* Ibid. col. 1154-1155.

carmina legenti. A somno ergo excitatus, ita humanas litteras et bene dicendi laudem aversatus est, ut ipse sibi propriam faceret rudis sermonis notam. Quam sæpe enim de rustico imperitoque sermone suo loquitur, cujus « asperitate eruditæ « aures feriuntur » (1).

Consuetudinis igitur jam vigentis et ingenii sui suasu ad id impellebatur Cæsarius, ut despectis antiquis scriptoribus, soli eruditioni sacræ in monasteriis tam viros quam mulieres adhiberet. Quod equidem criminandum et nigro lapillo notandum, cum is esset Cæsarius, qui sua auctoritate a prava consuetudine ad rectiores usus æquales suos forsan revocare posset. Fuit igitur a seculo sexto quasi lex vulgo recepta apud monachos sacræ eruditioni vacare, nimium spreto antiquitatis honore,

Penes quem arbitrium est et jus et norma loquendi.

Ex ea consuetudine neque vim, neque nitorem acceperunt litteræ sacræ. Modo quidem jocoso Gregorius Magnus confessus erat se « metacismi « collisionem, barbarismi confusionem » (2) non devitare ; mox vero Gregorius alter, celeberrimus

(1) *In vita Alcuini* ab anonymo scripta. Patrol. lat., t. C, cap. 2, col. 91-92, videre est quomodo Alcuinus a scriptoribus profanis legendis avocatus sit.

(2) Gregorii Magni opera. Patrol. lat., t. LXXV, col. 515.

Turonensis episcopus, serio quidem, re satis conveniente sententiæ, talia fatebitur : « Timeo ne cum « scribere cœpero, quia sum sine litteris et arte « grammatica, dicaturque mihi a litteratis aliquis : « an tu rustice et idiota, ut quid nomen tuum inter « scriptores indi æstimas? aut opus hoc à peritis « accipi putas, cui ingenium artis non suppeditat, « nec ulla litterarum scientia subministrat » (1). Alio etiam loco idem fere exprimit Gregorius : « De cujus vita aliqua scripturus, veniam peto « legentibus. Non enim me artis grammaticæ stu- « dium imbuit, neque auctorum secularium polita « lectio erudivit, sed tantum beati patris Aviti, « Arverni pontificis, studium ad ecclesiastica solli- « citavit scripta » (2). Attamen apud eruditos constat ea nimium modeste a Gregorio dicta, cum et ipse interdum ex « auctorum secularium prolita « lectione » in suos libros plura derivaverit (3). Quam vero multi qui ab iis fere omnino abstinuerunt!

Huic disciplinæ contra ire totis viribus nititur

(1) *Præfatio : De gloria confessorum.*

(2) Gregor. Tur. : *Vitæ Patrum,* lib. I, in prologo de sancto Midio.

(3) Kurth : *Saint Grégoire de Tours et les études classiques au VIme siècle; Revue des questions historiques,* 13me année, t. XXIV, p. 588.

Cassiodorus in eo libro qui *de Institutione monachi* inscribitur; multisque et certis argumentis « auctorum secularium lectionem » neque esse christianis illicitam neque a Sanctis Patribus fuisse despectam : « Verumtamen nec illud Patres sanctissimi decreverunt, ut secularium litterarum studia respuantur... Multi iterum Patres talibus eruditi et in lege domini permanentes ad veram sapientiam pervenerunt... quis enim audeat habere dubium ubi virorum talium multiplex præcedit exemplum? » (1). At ea quæ multa arte in scriptis suis effundebat Cassiodorus, consuetudinem a via sua deflexisse non videntur, eoque oblivionis litteræ latinæ devenerunt, ut aliquod earum vestigium seculis septimo et octavo in Gallia vix possit reperiri. Qua de re exclamat Fredegarius in prologo Chronici sui : « Mundus senescit, ideoque prudentiæ acumen in nobis tepefecit, nec quisquam potest hujus temporis nec præsumit oratoribus esse similis » (2). Quam inclinata fuerint, ait Mabillonius, in occidente per seculum septimum « studia litterarum constat ex his verbis papæ Agathonis, patribus Synodi romanæ scribentis : Non æstimamus quemquam temporibus

(1) Cassiodori opera. Patrol. lat., t. LXX, col. 1142.
(2) Fredegarius : *Chronicon, Ex monum. Germ. hist. prolog.*

« nostris reperiri posse, qui de summitate scientiæ « glorietur » (1). Cujus rei causa sane fuerunt bella tumultusque, quibus ea tempestate christiana respublica agitata et commota fuit, sed etiam ea iniqua oblivio qua laborabant auctores antiqui. Quod si « ex auctorum sordidorum numero excipiendi sunt « viri pro ætate summi, Beda Venerabilis, Paulus « Varnefridi, Albinus seu Alcuinus, » vel ad Angliam quæ tum suum litteris honorem adhibebat, vel ad seculum pertinent quo, « Carolo magno imperante, « Musis honos restitui cœpit, rediitque avita celebritas » (2).

Desiderio est igitur, Cæsarium in iis de quibus agitur, ab instituto Lerinensi primo recessisse, propriaque auctoritate non ita fuisse usum, ut vel antiquos scriptores tueretur, vel eos in pristinum honorem restitueret. Ineptum quidem et studiis recte excolendis exitiosum, omnes antiquos scriptores universim damnare et a disciplina scholarum exules facere, cum apud illos ea quæ sunt rationis humanæ ac naturæ, arte qua nulla alia major expressa inveniantur. Quam recte enim hac de re scribens Lanfrancus de profanis litteris dixit : « Quæ si debito modo ac tempore assumantur,

(1) Mabillonius : *Præfationes*, t. I, p. 77.
(2) Mabillonius : *Præfationes*, t. I. p. 83.

« judicium informant, animum perpoliunt et exor-
« nant atque ad virtutis studium docilem aptum-
« que efficiunt » (1). Quæ si Lanfranci verba cum tenebris hujus merovingiacæ ætatis, qua momento periisse videtur antiquitatis cultus, conferas, planius intelliges ad homines excolendos quid prosint antiquæ artes.

Felicius equidem egit Cæsarius, auctoritatemque suam ad Lerinensis monasterii institutum magis accommodavit, cum in scholis hic et illic creandis allaboravit. Legimus enim Hilarium (2), postquam ex insula eductus, episcopi munus in civitate Arelatensi susceperat, ut juvenes erudirentur in schola operam dedisse : idem de Lupo Trecensi (3), et ipso Lerinensis scholæ alumno, fertur ; neque aliud de Fausto Reiensi sentire fas est, quamvis parum constet, utrum Reiensi in civitate an in insula, magister exstiterit. Quibus exemplis aliisque citra dubium ponitur episcopales scholas a seculo quinto ortum sumpsisse. Præter eas, historicorum testimoniis asseritur alias exstitisse scholas, quas *parœciales* vocant, maximi quidem momenti ad litteras per populum vulgandas, quarum initia conjunctum

(1) Apud Ziegelbauer : *Hist. rei litter. Benedict.*, lib. II, p. 546.

(2) *Acta SS*, t. II, Maii, p. 28, nº 12.

(3) Guizot : *Hist. de la civilis. en France*, t. I, liv. III, p. 93.

sibi Cæsarii nomen præferre videntur. Initium enim propemodo sumpserunt a concilio Vasensi, cui præfuit Cæsarius : Legitur enim in Canone primo hujus concilii : « Hoc enim placuit, ut omnes « presbyteros qui sunt in parochiis constituti, « secundum consuetudinem quam per totam Italiam « satis salubriter teneri cognovimus, juniores lec- « tores quantoscumque sine uxore habuerint, « secum in domo, ubi ipsi habitare videntur, reci- « piant, et eos quomodo boni patres spiritaliter « nutrientes, psalmos parare, divinis lectionibus « insistere, et in lege domini erudire contendant : « ut et sibi dignos successores provideant et ad « omnino præmia æterna recipiant. Cum vero ad « ætatem perfectam pervenerint, si aliquis eorum « pro carnis fragilitate uxorem habere voluerit, « potestas ei ducendi conjugium non negetur » (1). Quo Vasensis concilii canone, si verba perpendis, quasi adumbrari has institutiones, quæ nunc seminaria vocant existimo, cum ibi nulla alia cura ducatur, nisi ut passim litteris illi informentur quos duces et rectores vulgo ecclesiæ habebunt : quod equidem scholarum est munus. Porro auctoritatem Cæsarii expressam ea novata institutio præ

(1) *Sacrosancta Concilia.* Labbe, t. IV, p. 1679. Lutetiæ, Paris, 1671.

se fert, non tantum eo quod ipse huic concilio præfuit, sed magis ex eo quod, ab ineunte seculo sexto ad medium, in Provincia, imo vero in Gallia tanta fuit Arelatensis episcopi auctoritas, ut sine eo fere nihil immutatum ab ecclesiastici ordinis viris, vel innovatum fuerit. Ad annum vero DXXI quo maxime conspicuus erat Cæsarius, concilium Vasense refertur. Non erat indignum Lerinensi alumno, postquam et ipse in monasterio primum celeberrimo, a præclarissimo deinde rhetore litteris imbutus erat, tum regula sua ad homines mulieresve in monasteriis degentes directa, tum decretis in Conciliis habitis, omnes ad litterarum studia provocare.

Quantum autem studium, quantam curam, quantos labores ut doctrina catholica integra primum, et ab omni erroris fraude immunis servaretur, consumpserit, qua arte Pelagianismum labefactare aggressus fuerit, cum ab hoc libello, qui de rebus tantum ad studia litterarum spectantibus agit, sit alienum alto silentio prætereundum videtur.

CAPUT SEXTUM

QUID ANGLIA LERINENSI SCHOLÆ DEBUERIT

Cum de Cæsario, scholæ Lerinensis alumno præcipuo, actum est, ut absolvatur opus susceptum, quia ad insulanam auctoritatem Galliæ fines excedentem demonstrandam vix adducti sumus, superest ut, eam trans mare, usque in Angliam diffusam fuisse, monstremus et quasdam opportunitates Angliam inter Lerinamque insulam exstitisse. Citra dubium res est quinto seculo Patricii Faustique auctoritate.

Exstat etiam, proximo seculo post, inter eas insulas, immenso tractu terræ marisque dissitas, hujus commercii satis præclarum et notabile documentum. Narrant enim scriptores historici Gregorium Magnum, summum pontificem, de Augustino monacho in Angliam, ut Evangelium prædicaret, mittendo cogitasse. Qui, cum Roma profectus esset, ad Lerinam insulam appulit; qua deinde relicta, ut Romam reverteretur, causa fuit hujus epistolæ quam ad Stephanum, Lerinensem Abba-

tem, Gregorius scripsit (1). Nec magni refert hunc Augustinum ab itinere suo Lerinensium sermonibus avocatum fuisse, cum illud maxime nostra intersit, Lerinam insulam adfuisse viæ qua Roma in Angliam ferebantur apostoli (2). Sequitur enim, ut tanta fuerit inter Angliam Lerinamque consuetudo, quanta fere et inter illam Romamque, ita ut, quo magis monachi, saltem Angli, cum Romanis pontificibus rem haberent, eo magis Lerinensibus uterentur. Quid enim mirum, si Patricio Faustoque ducibus, jam a seculo quinto Britannos ad se traxerit Lerinensis insula (3). Postea vero cum de Benedicto quodam, Anglo, Biscopo cognomine, agetur, non erit quod mireris eum, ad monasticam vitæ rationem ediscendam, Lerinam petiisse.

Tum Patricii, Lerinensis alumni, tum aliorum opera institutiones monasticas in honore fuisse apud Britannos satis constat. A seculo vero sexto, qua ætate Britannia Anglorum Saxonumque incursionibus turbulentissima fuit, a summo fastigio

(1) Sancti Gregorii Magni opera. Patrol. lat., t. LXXXVII, col. 840.

(2) Mabillon. : *Annales Ord. Sancti Bened.*, t. I, lib. IX, p. 220. — Fleury : *Hist. ecclés.*, t. VIII, p. 119.

(3) Quod Alcuinus epistola confirmatur : « Fratres Venera- « biles et religiosi de monasterio Lerinæ insulæ ante paucos « dies venerunt ad nos » Patrol. lat., t. C, col. 465.

præcipitata ruerunt monastica instituta scholas, quæ in ipsis florebant, secum in ruinam trahentia. Neque infelicius quam in Gallia res apud Anglos se habebant; eoque devenerant, ut octavo seculo vel pauca vel nulla nomine digna exstarent monasteria in quibus scientia excoleretur. Quamobrem Patres concilii Cloveshoviensis, anno DCCXLII celebrati, decernunt cap. XX « ut provideant vigilanti per-« fectione episcopi, ut sint monasteria juxta voca-« bulum nominis sui, id est, honesta silentium, « quietorum ac pro Deo laborantium habitacula... « etc. » (1). Cujus mandati causam antea prædicti Patres notam fecerant : « Dictu dolendum est, quod « his temporibus perpauci inveniantur, qui ex in-« timo corde sacræ scientiæ rapiantur amore, et « vix aliquid elaborare in discendo voluerint... « Proinde coerceantur et exerceantur in scholis « pueri ad dilectionem Sacræ Scripturæ : ut per « hoc bene eruditi inveniri possint ad omnimodam « Ecclesiæ utilitatem » (2).

Tentanda igitur erat, medio jam seculo octavo, institutionum et scholarum monasticarum apud Anglos renovatio, quam si tam solemniter concilii Cloveshoviensis Patres agressi sunt, dicendum

(1) Labbe : *Sacrosancta Concilia*, t. VI, p. 1535.
(2) Ibid., cap. VII, p. 1533.

tamen ab aliis jam ante ipsos, sub finem seculi septimi, opus inceptum fuisse : quæ occasio erit, ut inquiramus quam in ea re partem habuerit quotque officia in Angliam contulerit Lerinensis insula.

Opus autem restituendarum scholarum litterarumque et disciplinæ monasticæ suscepit Anglus quidam, Benedictus nomine, cognomine autem Biscopus, qui, cum natus esset anno DCXXVIII, annum agens fere vigesimum quintum, communi hominum societate abdicata, monasticam vitæ rationem inire statuit. Cum Romam iterum petiisset, « post menses aliquot inde digrediens ad insu-
« lam Lerinensium ibidem se monachorum cœtui
« tradidit, tonsuram accepit et disciplinam regula-
« rem, monachi voto insignitus, debita cum sollicitu-
« dine servavit; ubi per biennium idonea monasticæ
« conversationis doctrina institutus, rursus beati
« Petri, Apostolorum principis, amore devictus, sa-
« cratam ejus corpore civitatem repetere statuit » (1). Nec mora, adveniente nave mercatoria, proposito satisfecit (2). Cum ibi moraretur Wigardo, quem rex Anglorum Egbertus creandum episcopum Romam miserat, mortuo, summus Pontifex, inito consilio quem de suis Anglorum archiepiscopum

(1) Venerabilis Beda : *Vitæ Sanctorum Abbatum*. Patrol. lat., t. XIVC, col. 714.

(2) Mabillon. : *Annales Bened.*, t. I, cap. XV, p. 417.

sacraret, « Theodorum videlicet, seculari simul et « ecclesiastica philosophia præditum virum, et hoc « in utraque lingua, græca scilicet et latina... et « quia venerabilem Benedictum sapientem, indus- « trium, religiosum ac nobilem virum fore cons- « pexit, huic ordinatum cum suis omnibus com- « mendavit episcopum » (1). Quos studiorum et monasticæ disciplinæ auctores in Britannia habeas volo.

Illi, arrepto itinere, forte via Lerinensi, peragrataque Gallia, Kantiam venerunt, gratissimeque sunt accepti. « Theodorus sedem episcopatus cons- « cendit, Benedictus suscepit monasterium B. Petri « apostoli ad regendum » (2). Sed postquam illud rexerat duobus annis, dimissa monasterii Cantuariensis præfectura, Romam tertio rediit. Interea Theodorus, Archiepiscopus Cantuariensis, Adrianusque, romanus genere, qui post Benedictum monasterio Cantuariensi præerat, quia litteris « sacris simul et secularibus abundanter ambo eru- « diti erant, peragrata tota Britannia, congregantes « discipulorum catervam, scientiæ salutaris quotidie « flumina irrigandis eorum cordibus emanabant, « ita ut etiam metricæ artis, astronomiæ et arith-

(1) Venerabilis Beda, loc. cit.
(2) Ibid.

« meticæ disciplinam, inter sacrorum apicum volu-
« mina suis auditoribus contraderent » (1). Hujus rei certissimum documentum habet Venerabilis Beda qui talia testatur; siquidem ejus tempore supererant « de eorum discipulis qui latinam græ-
« camque linguam, æque ut propriam in qua nati
« sunt » (2). noverant. Addit insuper laudatus auctor : « Neque unquam prorsus, ex quo Britan-
« niam petierunt Angli, feliciora fuere tempora,
« dum... quicumque lectionibus sacris cuperent
« erudiri, haberent in promptu magistros qui do-
« cerent.

Inter hæc tamen inertia minime laborabat Benedictus Biscopus, cum vero summa alacritate, vel pretio emptos, vel gratuito ab amicis acceptos, multos libros collegisset, domum rediens ad regem occidentalium Saxonum, nomine Coynwall, primum se contulit, quo mortuo, ad Egfridum, Transhumbranæ regionis regem, e qua ipse erat oriundus. Cui cum omnia quæ jam ab adolescentia egisset, quibus disciplinis esset imbutus, quot itinera Romam esset agressus, patefecisset, admiratione captus tanto studio in eum rex incenditur, « ut con-
« festim ei terram septuaginta familiarum de suo

(1) Venerab. Beda, loc. cit.
(2) Ibid.

« largitus, monasterium inibi facere præciperet » (1). Quod exstructum ad ostium Wiri fluminis, anno DCLXXIV, a duobus Anglorum verbis nomen Wiremouth — id est, Wiri ostium — accepit. Id primum huic regioni præstitit Benedictus, cum ad monasterium exornandum e Gallia artifices accivit, qui « Anglorum ex eo gentem hujusmodi artificium nosse ac discere fecerunt » (2).

Neque his finibus Lerinensis discipuli indefessa alacritas se continuit. Anno enim DCLXXXII, cum rex Egfridus rebus a Benedicto constitutis multum delectaretur, primo dono alterum adjecit, « quadraginta adhuc familiarum data possessione, » ut monasterium B. Pauli apostoli exstrueretur, « ea dumtaxat ratione, ut una utriusque loci pax « et concordia eadem perpetua familiaritate conservaretur » (3). Cui monasterio Girvense nomen, vernacula lingua Iarrow, inditum est. Antequam construeretur, quarto Romam Benedictus profectus erat : eo autem constructo, quintum iter iniit; quo

(1) Venerabilis Beda, loco cit.

(2) Venerabilis Beda, loco cit.

(3) Ibid. « The two foundations of Wiremouth and Iarrow « were so singularly connected in their early history, that, « to use the expression of Simeon of Durham, they seem to « have been one monastery built upon two sites » *Monasticon Anglicanum* by sir William Dugdale. Volume the fast, p. 501. London, 1817.

perfecto, « locupletatus rediit magna quidem copia « voluminum » (1). Sexta peregrinatione confecta, tandem vita cessit.

Quæri potest an inter peregrinandum Lerinam insulam reviserit Benedictus; etsi vix dubio locus est, tamen testibus non constat : præterea id ad rem mediocris est pretii. Jam enim satis exploratum habemus quæ contulerit Benedictus ad scientiæ augmentum inter Anglos, qua opera et studio « bibliothecam utriusque monasterii, quam magna « cœpit instantia, » locupletandam curaverit; eamque, cum in eo esset ut moreretur, « quam de « Roma nobilissimam copiosissimamque advexerat « ad instructionem Ecclesiæ necessariam, sollicite « servari integram nec per incuriam fœdari aut « passim dissipari » (2) præceperit.

Quæ cum ita sint, et de Benedicti in re litteraria apud Anglos meritis constet, interest ut ex quo fonte tantum litterarum et monasticarum disciplinarum studium hauserit, inquiramus. Ipsius enim testimonio ad id impellimur, cum fateatur ipse : « Neque enim putare habetis, inquit, quod ex meo « hæc, quæ vobis statui decreta, indoctus corde pro- « tulerim. Ex decem quippe et septem monasteriis

(1) Venerab. Beda : *Vitæ sanct. Abbat.*, l. II, p. 725.
(2) Venerabilis Beda, loco cit., lib. I, nº 11.

« quæ inter longos meæ crebræ peregrinationis « discursus optima comperi, hæc universa didici et « vobis salubriter observanda contradidi » (1). Quæ sint ea monasteria a Benedicto visitata, historicos latet : notum tamen ea ætate, inter celeberrima Lerinense præcipuum locum obtinuisse, a quo alia plura sua instituta acceperunt; certissimumque ex præfatis inter Lerinenses Benedictum duobus annis fuisse versatum, monachumque « ibidem professum « exstitisse. Inde in Angliam suam reversus... homo « in strictissima Lerinensium disciplina educatus, « benedictino monasterio informando aptissimus « est judicatus » (2). Quod inter Lerinenses ignotum ex monasticis institutis ab aliis didicerit Benedictus, ita parvi momenti est, ut illud præterire silentio fas sit, quin injuriæ in crimen incurramus. Quamobrem de Benedicti institutis idem judicium, quod protulit Mabillonius, usurpare arridet : « Hoc « vero institutum Benedictus hauserat in monas- « terio Lerinensi » (3).

Rerum igitur a Benedicto institutarum laudem pro parte satis conspicua Lerinensibus tribuere injuriæ nota carebit : quorum laus adhuc illustrior

(1) Venerabilis Beda, loco cit., lib. I, nº 11.

(2) *Apostolatus Benedictinorum in Anglia* a P. Cl. Reyneri — Duaci 1625 — Sectio I, p. 33.

(3) Mabillon. : *Annales ord. Bened.*, t. I, lib. XV, p. 456.

videbitur, si eorum, quæ studiorum et monasticarum disciplinarum instaurationem ab illo factam secuta sunt, rationem habebis : « In unoquoque « enim monasterio — Wirensi scilicet et Girvensi — « erant monachi et multi valde studiosi, e quorum « collegio, in singulis cœnobiis, in scientia Scriptu- « rarum excellentior scholasticus ponebatur, quos « Eckehardus junior magistros scholæ appellat » (1). Inter quos proferre liceat Aldhelmum, Ceolfridum, Bedam Venerabilem, Egbertum, Alcuinum quos, etsi diversis temporibus, tamen intra ejusdem seculi limites magistros præcellentes habuit Anglorum schola. Aldhelmus enim, cum in illo celeberrimo Cantuariæ monasterio, quod instauraverat Benedictus, ab Adriano, hujus successore, litteris latinis et græcis imbutus esset, monasterium Malmesburiense insigni cum laude rexit, librosque non mediocri arte conscripsit.

Ea fuit præcipua Ceolfridi gloria, in monasterio Girvensi, cui præerat, Venerabilem Bedam habuisse discipulum. Is enim, « in extremo natus orbis an- « gulo » (2) anno DCLXXIII, ita de se loquitur :

(1) Mabillon. : *Acta SS. ord. sancti Bened.*, t. IV, præf. ad sæc. III, p. 18.

(2) Wilhelmus Malmesburiæ : *De regibus Angl.*, lib. I, cap. 3, anno 673.

« Cum essem annorum septem, cura propinquorum « datus sum educandus reverendissimo abbati « Benedicto, ac deinde Ceolfrido, cunctumque ex « eo tempus vitæ in ejusdem monasterii habitatione « peragens, omnem meditandis Scripturis operam « dedi, atque inter observantiam disciplinæ regu- « laris et quotidianam cantandi in Ecclesia curam « semper aut discere, aut docere, aut scribere dulce « habui » (1). Nec quisquam ea ætate exstitit qui majorem laudem in litteris assequeretur, vel eum in omni genere studiorum antecederet. Cujus opera vel merita quæ sint explicare non nostrum est, cum id tantum sit nobis propositum quo vinculo, tenui quidem, tenaci tamen, Lerinensibus Beda religetur, patefacere.

Egbertus autem, quem « regio genere ortum et « divina scientia imbutum » fuisse tradit Venerabilis Beda, « omnium liberalium artium armarium, « ut ita dicam, et sacrarium fuit, nobilissimamque « bibliothecam Eboraci constituit » (2). Primum doctissimo Bedæ educandus traditur ; at mox « erat « ei ex nobilium filiis grex scholasticorum, quorum « quidam artis grammaticæ rudimentis, alii disci-

(1) Venerab. Beda : *Epitome,* Patrol. lat.
(2) *Alcuini vita* ab anonymo scripta, Patrol. lat., t. C, col. 90.

« plinis erudiebantur artium jam liberalium » (1), inter quos præcipuo loco annumerandus est Alcuinus, qui de Eboracensi ecclesia hæc scripsit : « Ubi « ego nutritus et eruditus fueram et... me magister « meus dilectus Egbertus, archiepiscopus, hære- « dem reliquit. » Quæ postea in epistola ad Carolum magnum confirmat : « Desunt mihi, servulo « vestro, exquisitiores eruditionis scholasticæ libelli, « quos habui in patria per bonam et devotissimam « magistri mei Egberti industriam » (1). Quis autem fuerit ille Alcuinus, satis innotescit, ut nomen ejus in medium prolatum, nulla explanatione indigeat. Eum per magistrum suum Egbertum et per Bedam Venerabilem non esse omnino a Lerinensibus alienum, omnibus persuasum esse velim. Cum vero Alcuinus multam contulerit operam, Carolo magno rege, ad litterarum studia instauranda ; litterarum « lampada » quam primum Lerinenses Anglis tradiderant, in Galliam tempore quo apud nostros fere exstinguebatur, a Lerinensium hærede reportari arridet : sicuti e Lucretio, « res accendunt lumina rebus, » ita gentes gentibus.

(1) Alcuini epist. ad Eanbaldum, archiepisc. Eborac, t. C, col. 108.

(2) Ibid., col. 108.

Jam in conspectu adest ætas carolingica, metamque optatam, confecto itinere, tenemus. Ab incepto sane manum licet removere, dummodo id fixum animis maneat, Lerinensem scholam quinto seculo per se primum litteris felicem operam contulisse, a sexto autem, per suos præsertim alumnos, minusque interdum feliciter; Anglis tandem id præstitisse, quod inter eos litterarum studia et disciplinam monasticam instauraret, eumque hominem pararet, cujus opera præcipue res litteraria ævo carolingico aliquo modo in Gallia restitueretur.

FINIS

VIDI AC PERLEGI :

XI Kal. Apr. MDCCCXCII.

Facultatis litterarum in Academia Burdigalensi decanus,

P. STAPFER.

TYPIS MANDETUR :

XI Kal. Aprilis MDCCCXCII.

Academiæ Burdigalensis rector,

A. COUAT.

INDEX RERUM

Prœmium V

Caput primum : *An Lerinensis insula schola ad docendos adolescentes instructa fuerit* 1

Caput secundum : *Quinam Lerinensem scholam instituerint* 11

Caput tertium : *Quosnam adolescentes præcipuos et qua mente schola Lerinensis informaverit* 34

Caput quartum : *Qua auctoritate Lerinensis schola ætate merovingiaca valuerit* 63

Caput quintum : *De Cæsario, præcipuo scholæ Lerinensis alumno, ejusque auctoritate* 85

Caput sextum : *Quid Anglia scholæ Lerinensi debuerit* .. 106

Imprimerie de l'Avant-Garde, 18, rue du Mirailh, Dax.



JAN 24 1899

JAN 27 1900

DUE 30 12

Widener Library
3 2044 089 260 921